
2157.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

1161

No. 2157.



M Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

=LN 1439 ex. 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

LN.2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157

DE AGNI, SEV CHRISTI VICTORIA CONTRA GOGVM, & MAgogum libri Quatuor,

Authore
IOHANNE SASCERIDE
Vuarmenhuſano.

2. Theſs. 2:
Tunc reuelabitur iniquus ille, quem Dominus conſumet Spiritu oris ſui, & abolebit illuſtratione aduentus ſui, &c.
Eſa. 11:
Et percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, &c.

HAFNIAE,
Impreſsit Laurentius
Benedicti.
1 5 7 7.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

ILLVSTRISSIMO, LAV-
DATISSIMOQVE HEROI
VVILHELMO Principi Orangiæ, Comiti
à Naſſou, Catſenellenbogen, Viana, Diets,
Bura, Lerdam, &c. Domino, Baroniq́ à
Breda, Dieſt, Grimbergen, Arlaÿ, Noze-
roy, &c. Burchgrauio Antuerpiæ, & in
Beſancon, præfecto, gubernatoriq́ gene-
raui totius Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ
Occidentalis, & Vltraiecti, Domi-
no ſuo clæmentiſsimo gratiam,
& pacem in Chriſto
precatur
Iohannes Saſcerides.

MEritò diſplicet moderatis omnibus excellentiſsime Princeps hæc infælix animorum noſtro ſæculo, cauſa religionis, orta diſtractio, qua non modò ſinguli ferè diuerſas à ſe inuicem in doctrina Chriſtiana tuentur ſententias, verùm in ijs quoq́ propugnandis ita ſibi placent, ac de ſuo iudicio ſe tam certos, firmiterq́ fundatos eſſe confidunt, vt omnes à ſe vel in minimo, quopiam arti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

culo diſſentientes non errare tantùm, audacter, ſecurèq; pronuncient, ſed & odio bonorum propterea dignos, iureq; damnandos, & omni conuitiorum genere proſcindendos, ne dicam & q̃ primùm è medio tollendos eſſe iudicent: ſeſe verò, tanq̃ in ſinu Dei ſedere, populumq; ei gratiſſimum eſſe, nihil addubitent, quantumuis iuxta carnem adhuc affecti deprehendantur. Hanc Eccleſiæ ſuæ futuram poſtremis temporibus miſeriam, etiam ipſe dominus inter ea, quæ Math. 24. de mundi fine prolixè vaticinatur, haud obſcurè prædixit his verbis: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Quod enim triſtis hæc Eccleſiæ dilaceratio potius imputanda ſit abſentiæ, ſeu defectui Chriſtianæ Charitatis, veræq; in Deum conuerſionis, quàm ipſis diſſenſionibus in externa doctrina, ſi ſaltem eæ moderatæ, fraternaq; dilectione condulcoratæ forent, omnes vel mediocriter ſecundum Deum ſapientes facilè videre queunt. Nam vt ij, qui librum, in quo res magnæ, & vtiles hominum vitæ continentur, apertum iam habent & intus

legunt

2157

legunt, non amplius, vt priùs, ad exteriora, deflexis oculis, conſiderare ſimul poſſunt, quid is foris habeat ornamentorum: vt nec ij, qui nucis apertæ nucleo veſcuntur, corticem inanem vltrà magnifaciunt: ita profectò, ſi beatiſſimum Chriſti Spiritum, veramq; dilectionem, & indolem ſanctam animo diuinitus innouato circumferremus, immò vel eminùs tantùm, & ceu per tranſennam quandam, dum verè ſaltem, vidiſſemus, non eſſemus vſq; adeo ſolliciti, quid proximus noſter exteriùs hac vel illa de re ſentiret, aut loqueretur, ſed magis quàm intus iuxta Dei mentem, & Spiritum is conuerſus ex fructibus declararetur: quin imprimis de nobis ipſis eſſemus anxij, ne forſan & in nobis vel mortua fides, vel conuerſio ficta cenſeri poſſet, præſertim, cum eos quotidie proferamus cogitationum, affectuum, verborum, & operum fructus, qui putrem citiùs, quàm bonam ſapiant arborem: adeoq; meritò ſemper, iuxta doctrinam Apoſtolicam in vera pœnitentia, ne iudicemur à Domino, noſmet ipſos iudicaremus: at proximo noſtro libenter (infir-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

mus enim infirmo condolere ſcit) non tantùm externos actionum à lege diuina diſcrepantium næuos, à quibus neminem videmus in hac vita prorſus eſſe liberum, ſed & quenuis opinionum abſq; euidenti malitia, vel ex æmulatione maiorum, iudicijue defectu, vel ex rudi quodam Zelo conceptum, ac defenſum errorem condonaremus: quòd longè tetriora videremus in noſtris ipſorum animis vitia, tumultuſq; prauorum affectuum, à quibus Chriſti Spiritus, ne Regnum ibi ſuum erigere queat, horribiliter impeditur. Ne repetam, quòd hæc internæ conuerſionis, & ſancti Spiritus lux, vbi verè modò cognoſceretur, tantam ſui præberet fidelibus admirationem, reſpectum, ac dilectionem, vt omnia cætera, quæ ſunt externa, coram ea, mox vniuerſa ſui dilectione, reſpectuuè, & admiratione, fiduciaq; penitus exuerentur. Non ſecus, atq; videmus, nocturno quidem tempore clarè lucere ſtellas, & in his etiam planetas quoſdam admodum illuſtres, Venerem, Iouem, & Martem, ne dicam ipſam quoq; Lunam, quæ, dum eſt plena, quodammodò diem æmulatur,

ſplendoreq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

ſplendoreq; ſuo noctis operarios haud parùm iuuat: attamen exorto Sole ſtatim tàm hæc Luna, quàm illa minora ſidera cuncta, veluti pudefacta, faciem tegunt, viſumq; noſtrum in clara diei luce refugiunt: Sicut & arbores in Vere quidem pulcherrimis veſtiuntur floribus, quos tamen abijciant, anteq̃ ad fructũ proferendum ſeriò ſe præparent: Et ſeges etiam omnis initiò quidem è terra prodit, vt hærba viridis, & mox quoq; folliculos aliquanto maiores, quanq̃ adhuc iucundi coloris, emittit: attamen hæc omnia neceſſe eſt, vt in ea flacceſcant, & exareſcant, anteq̃ ſpicæ proueniant, plenaq; onuſtis in ſpicis grana concipiantur: In hunc certè modum, quæcunq; nouam natiuitatem, puram Dei dilectionem, & ſanctam indolem, internamq; Spiritus Chriſti veritatem, nempe veram animi conuerſionem, præceſſerunt, quanq̃ ſuam & ea laudem habebant, dum ad externam ſcripturæ ſacræ litteram, bona virium humanarum intentione, pro ratione temporis, à rudibus, ἐν τοῖς ἐκ μέρους, *fiebant, his tamen exortis, & in conſpectum omnium productis, illa non*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

poterunt non ocyus obſcurari, priſtinumq; re-
ſpectum, & admirationem amittere. Quod ip-
ſum & Apoſtolus clarè, duabus his ad Ro. 8. do-
cet ſententijs, dum ait primùm: Si quis Chriſti
Spiritũ non habet, hic non eſt eius. Ac deinde
mox rurſus: Quotquot Spiritu Dei ducuntur,
hi ſunt Filij Dei. Siquidem hîc ex priore qui-
dem Pauli ſententia manifeſtè diſcimus, hoc
omnibus, qui ſalutem in Chriſto conſequi cu-
piunt, eſſe prorſus neceſſarium, vt iuxta Spiri-
tum & veritatem Chriſto conformes effician-
tur, vtq; intus ad imaginem, & ſimilitudinem
Dei, ſeu ad mentem, & voluntatem Chriſti
verè conuertantur: adeoq; hypocritis profanis
nihil omninò ſuam humanæ diſciplinæ diligẽ-
tiam, ad æternam obtinendam beatitudinem,
eſſe profuturã, etiamſi certiſſimè cognouerint
omnia, quæ de Chriſto ſunt, myſteria, loquiq;
potuerint Angelorum quoq; linguis, & fidem
ſibi compararint litterà tenus vel puriſſimam,
& firmiſſimam, ne addam, & vitam exteri-
us irreprehenſibilem, dum vnicum Chriſti
Spiritum, nouamq; natiuitatem, viuam vt-
pote fidem, & veram Dei, proximiq; dilectio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

nem non habuerint. Ex poſteriore autem eiuſdem Apoſtoli dicto, quo Filij Dei pronunciantur, quicunq; Spiritu Dei ducuntur, hoc inſuper ſatis apertè colligimus, vnicam hanc nouam è Spiritu Chriſti natiuitatem, & internam fidelis animi conuerſionem à Deo requiri, ſufficereq; ad hoc, vt filij ipſius, & hæredes æternæ beatitudinis verè cenſeamur, etiamſi reliquorum ſeu ornamentorum, ſeu adminiculorum (ſine quibus tamen hæc benè conſiſtere poteſt) vel pauca, vel multa quoq; nobis defuerint: nimirum, etiamſi vel in moribus, & vita ſubinde graues, dum non contra conſcientiam, lapſus, & peccata: vel in externa quoq; Eccleſiæ doctrina fœdos, non ex malicia tamen, errores admiſerimus: quemadmodum infirmis & rudibus multis, tàm veteris, quàm noui teſtamenti temporibus, accidiſſe videmus, qui tamen hinc Deo minimè diſplicuerint, nedum à Deo reiecti ſint. Id conſpiceremus apertè, ſi patriarcharum, Abraham, Iſaac, & Iacob, Prophetæq; inter alios Ionæ vitam, quæ deſcripta eſt, ac diſcipulorum Domini, qui rudes plerią; fuere,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

piorumq; eos inſecutorum numero ferè carentium hiſtorias diligentiùs examinare placeret. Quoniam itaq; conſtat & neminem acceptum eſſe Deo poſſe, qui non intus iuxta Spiritum, ſeu indolem Chriſti renouatus eſt, quamuis foris honeſtè vixerit, purèq; ſimul de religionis doctrina ſenſerit: Et econtra, neminem à Deo reijci poſſe, qui Spiritu ſancto ducitur, vereq; ad ipſum conuerſus eſt, etiamſi ſepties vno die ceciderit, & minùs puras quoq; de quibuſdam externæ doctrinæ capitibus, imbecillitate iudicij, conceperit, & retinuerit opiniones: quòd benignus, & miſericors Deus omnibus ijs, in quorum cordibus gratum ſibi templum inuenit, huiuſmodi næuos, & lapſus omnes per ignorantiam ſine malitia commiſſos, ex gratia libenter condonare velit: quomodò non prorſus inſanire cenſendus fuerit, qui, neglecto eo, quod & omnino eſſe neceſſarium, & vnum, ad veram reperiendā fœlicitatem, ſufficere videt, in alienis quibuſdam, non citra veræ pietatis iacturam, occupari vult, quæ nec, omiſſa forſan, pios damnent, nec impios, & profanos, aſſumpta vel

maximè,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157

maximè, Deo commendent? Quapropter nos iam ſapientiùs agamus, & ſi minùs hoc impetrare poſſumus, vt omnes idem inter ſe de Chriſtianæ religionis doctrina ſentiant (quandoquidem & à Chriſto Domino, & Apoſtolis eius prædictum eſt, ſub mundi finem plures fore ſectas) in eo ſaltem diligentiam ſummam adhibeamus, ne propter diſſenſiones in doctrina, primariam veræ pietatis baſim, & vnicum fundamentum, nempe dilectionem fraternam, & pacem, vinculum illud perfectionis, diſſoluamus, aut aboleamus. Quin potius, vt aliam quamuis hominum, inter quos viuimus, taceo, noſtram ipſorum quoq;, ferre cogimur inſipientiam, & vanitatem plurimam, ita placidè feramus & illos, qui diuerſas à nobis in externa doctrina ſequuntur opiniones: dum hoc ſaltem ab ijs impetrare poſſimus, vt iuxta Spiritum, & veritatem nobiſcum ad humilitatem, & lucem in Chriſti vita præoſtenſam intùs animo vero conuerti ſuſtineant. Atq; huc tantùm omnes, quos ex gratia Dei poterimus, cum voce, tum exemplo, maximè tamen, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

imprimis noſmetipſos, incitemus: nam, ſi vis me flere, dolendum eſt primùm ipſi, tibi, rectè dicit Poeta gentilis. Quarè, ſi quis in via Dei cæteris eſt ſapientior, & à vanitate mundi dociles aliquos ad lucem æternæ veritatis perducere quærit, vtiq; det operam, vt eos non præmittat, ſed præcedat, & ſuam ipſius imprimis agnoſcat, noctesq; ac dies lugeat vitioſitatem, ne vitioſis alijs, dum ſaltem ij non refugiunt veram agere pœnitentiam, durus eſſe poßit, fiat ipſe pauper ſpiritu, mitis, humilis, afflictus, eſuriens, ac ſitiens iuſticiæ, miſericors, mundo corde, pacificus, & quarumuis iniuriarum patiens: deijciat ſeſe infra cunctos, mortificet propria corruptæ naturæ ſuæ deſideria, profanasq; cupiditates, & prauos affectus, in mundo ſit peregrinus, at cœli municeps, diuinæq; lucis, & imaginis, ad quam conditi ſumus, recuperandæ ſancto flagret ſemper deſiderio. Si ſic (inquam) in Eccleſia populum duces multi diuinitus miſſi præceſſerint, vtrumq; breui per Dei gratiam futurum eſt, vt nimirum ex auditoribus multi paulatim & amore veræ pietatis incendantur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

dantur, & contendendi de externis, litteraliq; ſcientia ſtudium haud inuitè deponant, vtq; tandem, aſpirante Dei bonitate, ſic omnes in ſe collabantur, & radicitùs de cordibus fidelium euellantur ſectæ: cognitisq; melioribus, animi piorum in ſanctam vnionem, & vnicam dilectionis perfectæ ſanctitatem amabiliter coeant. Id, ſicut vnanimi prophetarum, & Apoſtolorum conſenſu, futurum aliquando, promiſſum eſt, ita certiſſimè futurum hac via, non autem vel per ciuilis gladij violentiam, vel per clamores contentioſæ, partialiſue doctrinæ, ſperandum eſt: quoniam illa quidem, tanq̃ flabella, diſſenſiones magis augent, & intendunt, quàm ſopiunt, aut componunt: Sed charitas, Chriſtiq; veritas, & ſpiritualis indoles, operiunt multitudinem peccatorum, & contentionis radicem infringunt. Vnde, ſi per meliorem de Spiritu, veritateq; Chriſti doctrinam hæc ſemel in piorum animis germinauerint, & copioſiùs prouenerint, certè mox illic omnis, velut pudefacta, ſectarum vanitas, & externis de rebus litigandi ſtudium euaneſcere, & aboleri penitus

cogetur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

cogetur, exurgetq́ue, & regnabit, eorum loco, miranda illa Dei Sapientia, quæ figuratis quidem, attamen ſignificantibus admodum verbis apud Prophetas omnes prædicta legitur: vt cum, inter alia, loquitur Eſaias in hunc modum: Vacca & vrſus paſcentur ſimul, recubabunt, ſeu ad quietem ſe component, catuli eorum: & leo, quaſi bos, comedet paleam. Et oblectabitur lactans ad foramen aſpidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, immittet manum ſuam. Non malum inferent, et non perdent in vniuerſo Monte ſancto meo: quoniam impleta erit terra cognitione Domini, ſicut aquis mare operientibus. In hunc ſenſum & Michæas poſt Eſaiam affirmat, quod nouiſſimis his temporibus, ad nouam e Zion, & ex noua Ieruſalem egreſſam Chriſti doctrinam, homines arma ſua bellica ſtatim in agricolationis inſtrumenta mutaturi, bellandiq́ue vſum, & exercitium, nempe, contendendi de litterali doctrina ſtudium obliuioni tradituri ſint, & quietè ſua quiſq́ue ſub vite, ficuq́ue habitaturi, nemine cuiusq́ue amplius, ob externa, perterrente conſcientiam:

Item,

2157

Item, quòd, populis omnibus impunè ſua, quæ volunt, idola ſequentibus, fideles vnicè Deum verum perpetuò culturi ſint, aggregatis etiam ad eos plurimis in errore claudicantibus, & eiectis pridem, ſeu excommunicatis à cætu reliquorum, nunc autem futuris in reliquias, & in gentem robuſtam, vt regnet ſuper eos Dominus in monte Zion dehinc vſq; in æternum, &c. Quæ quòd & hactenus reuera nondum impleta ſint, & ante mundi finem omninò ſemel impleri debeant (quanq̃ ignaui multi diffidentia quadam hæc negant, & rident) è pluribus aſperſis contextui circunſtantijs euidenter oſtendi poteſt. Cum igitur hæc ſingulari Dei beneficio viderem, & non poſſem non ſæpius, ac diligentiùs cum ingente quadam animi voluptate perpendere, tandem placuit etiam in forma iuſti poëmatij, Scripturis, in quibus hoc myſterium à Sp. ſancto prædici videtur, aſcriptis minimè quidem omnibus, attamen aliquibus de maximo numero magis illuſtribus, & apertis, breuiter complecti, deſcribereq; vel allegoricis, & figuratis, ad prophetarum exempla, verbis, qua via

tandem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

tandem Eccleſiam huc eſſe peruenturam exiſtimarem, vt amabilem nimirùm pacē, & in cultu diuino cōſenſum illum à Deo tàm clarè, copioſeq; promiſſum obtineat, quod quidem, facilè video, per graue tantùm bellum obtinendum eſſe, verùm per eiuſmodi tantùm bellum, in quo diſſidium ſit non tam propter opiniones de rebus externis, quàm propter lucem animorum ſanctorum à Spiritu Chriſti radiantem, ad quam ocyus externa quæuis abrogentur, & priſtinum amittant reſpectum, ſeu admirationem. Atq; in tali bello, cum victrix euaſerit Eccleſia (ſicut nequit aliter fieri, quàm vt per Chriſtum, qui mundum vicit, victoria tandem potiatur & ipſa) non poterit non hinc, vt coronata diuinitus, inſigni luce, & beatitudine cum intus, tum foris quoq; veſtiri. Sed hæc vt vt ſe habent, piorum eſto Iudicium: Ego moderatè meam ſententiam, quam Scripturis eſſe conformem, arbitror, ad promouendam vnius Dei gloriam, & Electorum exædificationem, in medium protuli, non vt à quoquàm haberer vel doctus, vel ſapiens (me enim vnum de multis, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

miſerum peccatorem eſſe, cui nulla gloria, ſed ignominia tantùm, & confuſio faciei debeatur, agnoſco, & fateor ingenuè) nec vt aliquod nouum dogma cuiq̃ propinarem, aut ſtabilirem: diſſidia enim, & lites huiuſmodi cũ odi, tũ & eneruare quæro, fidemq; vera Dei, & proximi dilectione, conuerſiq; animi pietate magis, q̃ quæſtionibus, & ritibus externis declarari cupio: Sed in hunc maximè finem hoc pauculos intra dies à me conſcriptum carmen exiſtimaui prælo quoq; dandum eſſe, cùm præſertim quibusdam eruditis viris, ac Theologis non diſpliceret, vt pÿ, quorum in manus fortè peruenturum eſt, ſolito nunc ardentiùs, omiſſis externis, & minùs neceſſarÿs omnibus, internæ pietati, nouæq; vitæ ſtudio ſe dedant: idq; ratione temporis, quandoquidem Antichriſtus, qui ſub externæ ſanctimoniæ larua Chriſtum huc vſq; ſimulauit, immò & opprimere conatus eſt, iam pateſieri cæpit, mundiq; adeò finis, & extremus actus præ foribus eſt, in quo Chriſtum, Antichriſto deuicto, iuxta Spiritum, & veritatem cum ſua glorioſa luce manifeſtatum, ſuccedere tan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

dem oportet, vt Scriptura Prophetarum, & imprimis Apocalipſis impleatur. Noſtrum autem hoc opuſculum T. C. Princeps excellentiſsime dedicare placuit, partim quòd poſt hoc periculoſum, & ferè deploratum bellum, ope diuina, planeq́; miraculoſe, præter multorum expectationem, hoſtibus expulſis, ad gubernacula patriæ meæ chariſsimæ ſis reductus: de quo maximo beneficio maximas equidem cum pijs omnibus ago ſemper, agamq́;, dum viuam, Deo noſtro gratias, & ex animo precor, vt, omnibus hoſtis antiqui machinis, inſidijsq́; fœliciter eluſis, & viribus labefactatæ naturæ confortatis, in eo munere, quod euidenter tibi Deus opt. max. iniunxit, quàm diutiſsimè ſuperſtes proſpera cum valetudine perſiſtas ad promouendam æterni Dei gloriam, & patriæ noſtræ ſalutem: In qua, ſicut ab initio plurimum ſanguinis, Euangelij cauſa, poſtq̃ id è tenebris Antichriſtianis vtcunq́; rurſus emergere cœperat, effuſum fuit, ita ſanè piorum omnium votis ardentiſsimè petitur, vt quàm longiſsimo tempore confeſsio veritatis omnibus eam amantibus libera per-

mittatur:

2157

mittatur: Et neſcio, quomodò clàm ab omnibus bonis quaſi præſagitum ſemper fuerit, hîc maximè tandem Euangelij reſtituti vim, & efficaciam ſuo tempore declarandam eſſe: quod & Satan ipſe quodammodò præuidiſſe videtur, dum crudeliùs, quàm vſq; alibi, in hac regione patefactæ veritatis aſſertores impedire, profligareq; & perdere laborauerit, donec eam Excell. tuæ protectione tandem ab illius tyrannica graſſatione clæmenter Deus (cui ſit in omnem æternitatem laus, & gratiarum actio) liberauit. vnde iuſtum quoq; eſt, vt q̃ plurimi ſcriptis etiam, & editis libris vndecumq; fortunam hanc Exc. tuæ gratulentur: imprimis tamen & maximè nos, quibus hic naſci Dei beneplacio contigit. Partim etiam hanc ob cauſam poëma noſtrum hoc tui nominis vmbraculo protectum, & pio lectori commendatum in lucem prodire volui, quòd cum eius argumento propemodum conueniant, quæ per tuam Excell. in hac miraculoſa dulciſſimæ patriæ noſtræ liberatione Deus egiſſe comperitur. Quemadmodum enim hîc, de Scripturarum omnium conſenſu,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

canimus, aliquando futurum, vt Eccleſia Chriſti, quantumuis inermis, hoſtes armatos, & bellicoſiſsimos, flatu tantum oris, nempe doctrina ſola, ſanctiq; Spiritus efficacia ſit deuictura: ſic fermè & cum Exc. tua (quantum ego quidem ex aliorum relatu, cum & peregrè viuerem, & curioſus quoq; rerum alienarum non eſsem indagator, intelligere potui) diuinitùs actum eſt, vt nimirum hoſtes tuos admodum certè potentes, & minaces non tàm oppoſita vi, populorumue, & vrbiũ euerſione, quàm prudentia, ſapientia, benignitate, patientia, ſpe, longanimitate, & infracta præuiſi finis expectatione, vinceres: & ita bello quamuis terribili, metam tamen à pijs omnibus exoptatam imponeres. Et ſicuti, poſt illud arcanum totius Eccleſiæ bellum, (quod in hoc opuſculo breuiter à nobis prædelineatur) & poſt illam Sanctorum in Prophetis ab initio vſq; promiſſam de Antichriſto victoriam, ſperatur amabilis quædam oportuno tempore (quod ſoli Deo notum eſt) exoritura pax, in qua mirificè gloria diuini nominis vbiq;, non ſine maxima piorum læticia,

cia,

2157

cia, ſanctiq; Spiritus exultatione, celebretur: ita ſanè propemodum (ſi parua licet componere magnis) haud exigua ſpe ducimur, etiam in hac patria noſtra futurum dehinc, Deo tuam clæmenter adiuuante gubernationem, largienteq; tuæ Celſ. ſuam effuſiſſimam in Spiritu ſancto gratiam, Sapientiam, & ſucceſſum, vt, vbi turpiter hactenus idololatria, ſuperſtitio, crudelitas, oppreſſio veritatis, & nihil non mali viguit, & horribiliter quidem, ſed iuſtè tamen Deum ad iram, & vindictam contra delinquentes incitauit, adeoq; & in exilia voluntaria pleroſq; pios expulit, nunc admodum iucunda viciſſitudine, per ſingularem, & gratuitam Dei beneficentiam, illuſtriùs, & maiore cum efficacia, quàm vſquàm alibi, doceatur abſcondita Chriſti veritas: ad cuius palàm iam oſtenſæ pulchritudinem admirandam non indigenæ ſoli, quicunq; ſe dociles præbuerint, animo compuncto recreentur, ſed & alij verè pij multi de terris longinquis (quemadmodum ad regnum illud Salomonis olim regina Sabæ) magno veræ pietatis deſiderio concurrant,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

velut ad locum, vbi propicius Deus firmum, & præclarum ſui nominis conſtituerit habitaculum. Atq; hoc vt ſperamus, ita certiſsimè quoqué futurum eſt, ſi deſolati ſui gregis ἀρχιποιμὴν ille Chriſtus Ieſus miſertus, quàm plurimos fideles, & à Spiritu ſancto verè doctos verbi diuini miniſtros in meſſem ſuam extrudere dignatus fuerit. Quod etiam vt faciat, omnibus pijs inſtanter, ſerióq; ſemper orandum eſt. Nam quomodò veritatem, fidem, dilectionem, & pacem efficaciter aliqui, verèq; prædicare poterunt, niſi diuinitus, vt Paulus loquitur, emiſsi fuerint? De ijs autem, quos verè Deus miſit, hoc Eſaiæ quoq; citatur ab eodem elogium: Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona, dicentium ad Zion: regnat Deus tuus? qualium reuera prædicatio pijs omnibus non poteſt non eſſe perquàm amabilis, vt meritò ſemper ardentiſsimè ſit ab ijs exoptanda, tanq̃ opulenta perpetuæ fœlicitatis officina. Quapropter & ego precor ex animo Deum omnium bonorum fontem ac largitorem, vt, cùm in toto terrarum orbe,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

orbe, tum imprimis in hac afflicta noſtra patria, miſsis idoneis verbi ſui miniſtris, Eccleſiam ab Antichriſto deſtructam iuxta mentem, & indolem ſuam exædificare tandem aggrediatur, teq; Excellentiſsime Princeps, vt illius fortiſsimum ſub ſe Propugnatorem, ac fideliſsimum Tutorem, in ſancta pace, vitaq; beata quàm diutiſsimè ſaluum, & florentem, clæmenter, in æternam ſui nominis gloriam, tuamq; ipſius, & plurimorum aliorum ſalutem, conſeruet,

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

DE AGNI VICTORIA contra Gogum & Magogum lib. I.

DA mihi ſancte Pater famoſum dicere bellum,
Quo Draco terribilis miti vincetur ab Agno:
Dum ſatis, à prima ſubiectus origine mundi,
Apoc. 13. Fleuerit hic, reprobis, iniuſtaq; vulnera paſſus:
Nam, vice mox verſa, tibi ſtare videbitur, ecce,
Dexter, vt antiquum ſubdat ſibi lucidus hoſtem.
Nunc prope finis adeſt, fieri nunc omnia tandem,
Vatibus à cunctis quæ ſunt prædicta, neceſſe eſt.
Mat. 24. Quin etiam incipiunt nunc innoteſcere Sanctis:
Quandoquidem reſerare tuis myſteria quæuis
Temporis aggrederis ratione, diemq; ſupremam
Mat. 25. Euulgas, & oues Iudex diſiungis ab hircis.
Ergo, age, Calliope vero, hæc, mea præcinat ore.
Mat. 24. Quum patefactus erit ſacer Antichriſtus in orbe,
1. Theſ. 2. (Tetricam Apoſtolici longo qui tempore laruam
Obtinuit vultus, rudiumq; tyrannide cæca
Polluit, heu, mentes) iamq; eius vindice iacta
Tela diu dextra deflerint, quotquot aperto
Mat. 24. Fugerunt ſeruire Lupo, Sol altus vt ipſis,
Deliaq;, & ſtellæ nigrantem obuertere mœſtis
Incipiant frontem: tunc expectata probatis
Hora pijs veniet, qua refrænentur iniqui
Dan. 7. Cælitùs, & Sanctis omnis donata poteſtas

Affluat:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Affluat: vt Danielis habent oracula vatis.
Vnde ſuas vires ibi viſus apertiùs Agnus
Exerere, & plures ad ſe conuertere quibit Apoc.
Omnibus in Sectis, numero vt maiore notentur
Publica nunc etiam ſuſtolli ad munia paßim,
Atq; ſui dociles clam principis indole quoſuis Zach.
Imbuere agnina, maioreq; luce profanos
Obruere, & multis luctum ſuadere beatum.
Hoc Draco conſpiciens immanem ſæuus in iram
Exardeſcet ibi, furijs agitatus acerbis,
Et ſecum extemplo rabiens: mène (inquiet) illum
Excelſi mundi Dominum nunc cernet olympus
A grege deuictum paruo? quem ſub iuga noſtra
Miſimus à lapſu, faciliq; oppreßimus arte?
Dum ſolio Chriſti quoq; Dux contraria ſpirans 2. Theſ.
Hactenus inſedit fraude, & vi tutus aperta?
Sed, video, aſtuti maiori vincimur aſtu,
Perq; vias nobis occultas mittimur orco.
Quin, agite ô ſocij vos, vos, quicunq; triumphis
A prima clari rexiſtis origine mundum, Eph. 6.
Fortiter huic ſummo nolite deeße periclo:
Prodite iam vires, quas cœlo hauſiſtis ab alto,
Prodite, ſi docuit vos experientia quicquam
Tot ſæclis: totum celeres properate per orbem,
Poculaq; inſuetæ miſcete potentia fraudis
Ocyùs, & contra mactatum hunc omnibus Agnum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Gentibus ardentem belli inſpirate furorem.
Eze. 13. Fortior antiquos hæc potio diluat ignes,
Bellaq; deponant, facite, omnia protenus omnes,
Inter ſe quibus aſſueti pugnare nocenter,
Quos agit ingenium vetus huc, & ſpiritus idem:
Hos arctis deinceps inter ſe nectite vinclis,
Tantùm vt iniqua duæ committant prælia partes,
Coniunctisq; mei ſternant hunc viribus hoſtem,
Cui nouus affectus, nouaq; eſt ſapientia cordi,
Nec mouet externis (vt conſueuere priores)
Vllam de verbis pugnam, vel ritibus vlli.
Nos quoq;, dimiſſis his, oppugnemus amico
Conſenſu, quotquot cor immutare laborant.
Hi ſi nos vincent (vt præcinuiſſe Prophetæ
Creduntur) facite, vt ſaltem ſit palma cruenta.
Talia flammiuomo iactabit in aera verba
Gutture terribilis Draco, protrudetq; ſodales
Et per ſe cupidos iuſtum fudiſſe cruorem:
Vnde hi permoti diſcurrent protenus orbem
In ſectum, cunctis vt dira venena propinent
Gentibus, ac reddant auidam delere fideles
Aſcripam ſibi quiſq; plagam. Nec viribus illa
Pocula caſſa putes: tantus furor ocyus omnes,
Præcipuè tumidos, & ob inclyta facta placentes
Cum ſibi, tum pleriſq; ſua de gente profanis
Arripiet, contraq; pios incendet egenos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Vt ſitiant delere ſuo quoſcunq; repertos
In cætu, quorum olfacient ad ſidera mentes
Euectas, puraq; ſui Ducis indole tinctas:
Vtq; nihil præter bellum, bellum omine poſcant
Inuiſo, tantùmq;, oppreſſo, viuere, Chriſto,
Securi quærant in carne, boniſq; caducis.
Tum duo ſe prodent capita alta, duceſq; potentes, Ezech.
Quos genuit cano pater Antichriſtus in æuo, Apoc.
Sed peperit meretrix illos Babylonica mater.
Maior in his claro Gogi cognomine fertur,
Magogus vero fratri eſt inſigne minori
Nomen, vt in cunctis illo iam clareat oris:
Diſſidia hi primis aluerunt ſemper ab annis
Inter ſe fratres famoſi, bellaq; ſæua
Geſſerunt, quæ nullius potuere ſopiri
Vel docto prius eloquio: quin pluribus horum
Semper vterq; ſuis etiam ciuilia fermè
Prælia cum ſocijs fuit anteà inire coactus.
Aſt hoc iam Satanæ potati corda veneno, 4. Eze.
Nempe, intentatum diſcrimen grande videntes,
Maturo ſibimet pariter, ſocijsq; rogatis
Conſilio pacem ſtatuent, cedentq; petitam,
Ad noua nunc animos reuocante Dracone ſuorum,
Quæ fulcire ſibi poſſint, certamina, Regnum.
Hinc, vbi dextra data eſt, conſcribunt vndiq; tur-
Innumeras: Gogus dux appellatur eorum, (mas

Quos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Quos titulus pura de relligione tumentes
Efficit antiquo patrum aßeruatus ab æuo.
Vnde ſequentur eum, quotquot ſacer ordo potentes
Abſq; Deo ſtatuit. fratrum vt ferus ille, minorum
Euectus princeps à patre Cainus Adamo.
Quem iuxta horribili ſpecie capita alta gigantes
Innumeri tollent, Noachi quos obruit olim
Vnda ſenis pietati auſos indicere bellum.
Et primùm genitus magno Iſmaelus Abrahæ
Partibus à Gogi ſtabit, duruſq; renatis
Ibit: & Iſaaco viſus præſtantior ille
Fratre minore patri, ſæuus licet, atq; profanus,
Eſauus: Hos iuxta fulget Saul aurea geſtans
Crudeli ſua ſceptra manu, cui ſanguine fæda
Membra ſacerdotum: Ioabus quoq; cernitur illic,
Abſolomeſq; tumens, & conſiliarius eius
Inclytus Achitophel, Amnon etiam, Adoniaſq;,
Manſueto quanq̃ prognati rege Dauide:
Quin etiã hîc Dauidis erunt de ſtemmate Reges,
Ipſe Ioas, & Achazus, Amon, Ioachimus, & huius
Infauſti fratres: Paſchur quibus, atq; Chananias
Aßiſtent vates. Mox & ſe turgidus illic
Eriget Herodes, cum Scribiſq;, & Phariſæis,
Pontifices Annas, Cayphaſq;, ac ipſe Pilatus,
Proditor infælix etiam Iſcariota Magiſtri.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Hinc Nero, cum Decio ſæuo, innumeriq; Tyranni
Defendenda ſibi ſument inſignia Gogi.
Quin & multus erit mitratus Epiſcopus illic,
Abbasq;, & Monachus miſer, & cui terna corona
Præbeat ornatum capitis, doctorq; profanus:
Turba grauis, numero quam non comprenderis vllo,
Præter eos, quos plæbs equites, peditesq; futuros
Morigera his ducibus lati de partibus orbis
Adiunget, rubris indutos veſtibus omnes,
Quandoquidem ſtudio fundendi ſanguinis ardent.
Magogum verò ex alia regione ſuperbum,
Audacemq; ducem, vaga ſicut arena, ſequentur
Innumeri Satrapæ ſimul, illorumq; miniſtri,
Qui dextro freti ingenio ſyncera parentum
Dogmata liquerunt veterum, Satanæq; per artem
Excoluere nouos adeundi ſidera calles,
Patroniſq; viæ tritæ vel ſæpe profanis,
Et ſecum affectu bene conuenientibus imo,
Doctrinam propter variam, cultusq; nouatos
Ancipiti ſemper mouerunt prælia marte.
Buſyris micat inter eos Ægyptius heros,
Cumq; Amalec, Madian, Cananæi, Moab, et Ammon.
Et Reges pleriq; ſua Babylone ſuperbi:
Quos & Hieroboam rex Ephraimita Nebati
Progenies, & Achab deceptus ab Ieſabele
Coniuge Barbarica temerè comitantur, & horum
Tot

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Tot ſucceſſores, praui omnes, atq; cruenti:
Quorum iterum claudent latus illic pſeudoprophetæ
Mille, & Sidonis quotquot ſimulachra colebant:
Reg.22. *Inter quos inſignis erit ſatus ille Canano*
Zedechias geſtans duo ferrea cornua dextra:
Sacrificiq; Bethel, quorum vexillifer ibit
n. 7. *Amaſias, vati Tecoæ qui reſtitit olim.*
Mox etiam Aſſyrij Reges ibi conſpicientur,
Ipſe Teglatpeleſar, Salmnaſſer, Sancheribeſq;.
Poſt hos Antiochus quoq; rex, quem Syria mittet
Illuſtris dictus, caſtris fulgebit in illis,
Duxq; ferox Lyſias, & cum Nicanore Tryphon:
Atq; ſacerdotum pariter fex turpis Iaſon,
Et ſcaturigo mali Menelaus, & Alcimus atrox.
Pòſt etiam hæretici turmatim, exercitus ingens,
Prodibunt, Ebion, Manichæus, & ipſe Cherintus,
Arrius & viuax, tetroq; Sabellicus ore:
Quos tandē & domitor Mahometus fronte ſequetur
Perfricta, ſecumq; cruenta in prælia ducet
Myriadas peditum triplicis de gentibus orbis.
Deniq; erunt multi, forteſq; recentibus illic
E Sectis bellatores, quos anxia natos
Nunc Europa iubet damnare tyrannida Papæ:
Namq; grauis quotquot non crux turgentia corda
Fregit in his Sectis, nec mortificatio carnis
Perdomuit, quamuis alijs conformia lingua

Iactent

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Iactent verba leui, & faciem plerunq; decoram
Oſtendant foris, vt ſanctos adamare putentur,
Hoc tamen in bello Magogi caſtra ſequentur
Aduerſus iuſtos viſos intrinſecus illic.
Atq; ira ſtimulante graui, quò funditus iſti
De terra pereant, aßumptis omnibus armis,
Magogum accedent hi, ſed Gogum ocyus illi,
Non pedibus tamen, vt per terrā, vel mare currant
Corporeis, mutentuè locum: ſed corde maligno,
Propoſitòue animi facile huc veniße quibuſuis.
Nam Sanctos, tanto quos extirpare ſtudebunt
Conatu, ſecum inuenient habitare quietos
In cætu communi, & eadem ſæpiùs vrbe.
Propterea Sancti quoq; in hoc ingente tumultu,
Reclußis Erebi portis, mundoq; tremendis
Accenſo furijs, exurgent fortiter omnes,
Aq; malo tuti quò ſint, & clade minante,
Crudeles hoſtes hos euitare ſtudebunt,
Et fugient animo properante ad caſtra piorum,
Non pedibus tamen, aut mutatis ritibus vllis
Externis, verùm tantum intùs corde nouato
Iuxta verba Dei, mentemq; illius, & Agni.
Qui nunc è cœlo quoq; non abſconditus illic
Amplius afflictæ ſummo in diſcrimine Sponſæ
Deſcendiße pij cernetur lumine cordis,
Æternaq; ſui patefiet in indole patris,

Veſte

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Veſte velut pulchra, circundatus agmine longo
Sanctorum, poſito mundi ſapienter amore
Qui ſummum, vt puræ, tollentur in æthera, nubes.
Inter eos primo lucebit Abelus honore, (dos
Sethq;, & Henoch, Noachusq;, & myſticus ille ſacer-
Melchiſedec: poſt quem Patriarchæ, lumina terna,
Prodibunt, Abrahamus, & Iſaac, atq; Iacobus:
Venditus & Ioſeph à fratribus, ipſeq; Moſes
Cum Ioſue, Samuelq;, & mater amabilis eius
Hanna gerens in fronte pij veſtigia luctus:
Hinc Ieſſæus ibi vates, Rexq; inclytus idem
Dauides cithara pariter decoratus, & haſta
Magnifici verum Ducis illuſtrabit honorem:
A tergo Ezechias illum, Ioſiasq; ſequentur
Cum Ioſaphat: vatum quoq; tunc exercitus ingens
Veridicorum, iſtud qui præcinuere futurum,
Ibit in occurſum pedibus properantibus Agno,
Gad, Nathan, Elias, Eliſæus, & altus Eſaias,
Ipſeq; Hieremias, Michæasq;, & Zacharias.
Atq; alij, quorum in libro ſunt nomina vitæ.
Tunc Baptiſta pio monſtrare videbitur Agnum
Indice præſentem: quem pulchro hîc ordine cinget
Cœtus Apoſtolicus: verũ hos quoq; deinde ſequentur
Candida purpureo conſperſi membra cruore
Martyres innumeri, Confeſſoreſq; celebres:
Nec non, virgineum, diuinæ, quotquot, amantes

Iuſticiæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Iuſticiæ, ſaluum cuſtodiuere pudorem
Fæmineo pariter de ſexu, deq; virili,
Coram almo nitidis induti veſtibus Agno
Conſiſtent, lætiq; canent ante illius ora.
Mox his paulatim iungent ſe mente fideli,
Ac deſiderijs moti flagrantibus omnes
De Sectis huius poſtremi temporis, etſi
Peſtiferis, quorum eſt in rectum prona voluntas, Zoph.
Afflictiq; humilesq;, & ſe contemnere docti,
Spiritus æternæ quos turbat lucis egenos,
Quiq; ſuam lugent noxam, cl ademq; ſequacem,
Longanimiq; illata ferunt mala pectore quæuis:
Vnde ferè tumido mera ſunt ludibria mundo:
Suntq; velut vermes, quos grex impunè ſuperbus Eſa. 41.
Læuorum pedibus conculcat vbiq; propinquis, Pſal. 22.
Donec ab his illos nondum victoria plena,
Lanigeras vt oues olidis, diſiunxit, ab hircis. Matth.2
His tunc occurret læta venientibus Agnus
Fronte, locumq; ſuo feſsis in Monte parandum
Oſtendet, ſecumq; ipſos aſsumet in vſum
Præclarum ſapiens, operaq; vtetur eorum
Vrbis ad æternæ ſtructuram, in monte Sionis
Ædificare ſibi quam nunc maiore parabit
Ornatu, prius antiqui Salomonis in æuo
Quàm fuerit: quin & Montem ſibi lucidus ipſum 4. Ezr.1
Arte noua ſculpet, mirèq; extendet, vt orbe

 Iam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Iam toto ſit conſpicuus, facilemq; renatis
ſa. 52. *Præbeat acceſſum: praui ſed nullius vnq̃ hinc*
Incircumciſis plantis, animiſq; teretur.
Mox etiã hoc in Monte nouã ſibi conſtruet vrbẽ
Illam, quæ Solymæ clarebit nomine ſacræ,
Quæ iacuit pedibus calcata huc vſq; profanis,
At, reprobis nunc eiectis, rurſum eriget Agnus,
Producetq; in conſpectum, quaſi cælitus ortam,
Diuinaq; pijs, omni virtute politam,
poc. 21. *Pneumatis & cunctis ornatam dotibus almi.*
Sicut vbi Sponſo dilectam adducere Sponſam
ſa. 61. *Sæpe ſolent homines, illam exornare laborant*
Certatim, pexos demittunt vertice crines
In dorſum longè, mox & rutilante coronam
Lucentem ex auro, gemmiſq; frequentibus addunt,
A collo torques etiam pro more vetuſto
Plurimus, efficiunt, vt pendeat aureus illi
Veſte ſuper nitida, quò ſit gratiſſima Sponſo.
Sic ornamentis hanc iam cæleſtibus vrbem
Omnibus inſignem ſtatuet ſibi Chriſtus, & eius
poc. 21. *Arcanos muros, & fundamenta coruſcis*
ſa. 54. *Extruet è gemmis, hyacinthis, atq; ſmaragdis,*
Chryſolithiſq; meris: erit &, vice calcis, Iaſpis
In muris: at puro vrbs ipſa intrinſecus auro
Lucebit, ſpeciemq; vitri pollucidi habebit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Inportis autem videas effulgere latè
Berillos glaucos, Chryſopraſosq; virentes :
Pingent & domuum rubei laquearia ſumma
Sardonyches, poteruntq; ibi conſtituiſſe feneſtras
Margarides pulchri diuino lumine plenas.
Deniq; in hac oculos quoquò direxeris vrbe,
Sapphiros rutilos, Chalcitasq́, ac Ametyſtas,
Et Sardos, nitidumq; Adamanta, Topazion, atq;
Cryſtallum, cedrinaq; ligna, & marmora cernas :
Quandoquidem ciues, ſtructoresq; illius omnes
Cælitùs à ſancto lucebunt Pneumate docti,
Simpliceq;, vt gemmæ, radiabunt indole Chriſti,
Quotquot eam, lateres, & ligna, vehentur in vrbẽ.
Huius in Acropoli, Montiſuè cacumine ſummo
Sceptrigero ſedes erit, ac thronus aureus Agno,
Quo ſedeat, faciemq; ſuis oſtendat amicam.
Aſt in circuitu diuerſis cætibus illum,
Cingent extructæ, varijs cum ritibus, aulæ,
Sancti lugentes vbi carmina mœſta ſeorſum
Ob delicta ſua, at concordi voce, ſonabunt,
Præcipuo Dauidis ibi fulgebit honore
Tuggurium, longo quod iniqui tempore Regis
Eſſe ruinoſum viſum fuit, atq; caducum :
At nunc erectum fuluo radiabit ab auro,
Proq; ſacra iuſtus illic reputabitur æde,
Quam viſant, Domini ſermonem audire volentes :

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Nanq; propinquus eò ſua lumina diriget Agnus,
ſa. 52. *Deq; throno manans eius fons lympidus illud,*
Eluat vt ſordes, peccataq; fœda, rigabit.
Quin hinc vlteriùs paulatim vbi profluet idem,
Longinquis poterit quoq; tandem adferre medelam
Gentibus, arboribus dum ripam ornabit vtranq;
Fructiferis, quarũ & folijs membra ægra leuentur:
Aſt hoc, diuicto plenè demùm hoſte, futurum,
Nunc priùs eſt pauidis etiamnum pugna timenda
poc. 21. *Lugubris à Gogo Duce, Magogoq; ſuperbo.*
Qui ſimul ac totum prope ſub ſua turgida mundũ
ſa. 61. *Signa coegerunt celeres, numeroq; carentem*
Adiunxere ſibi peditumq;, equitumq; phalangem,
Vndiq; collectos compellunt ire patentem
In campum Babylonis, vbi, contra æthera bellum
Aggreſſi, quondam turrem extruxere gigantes,
Cuius apex poſſet liquidas attingere nubes.

FINIS.

poc. 21
ſa. 54. *Libri primi.*

2157.

DE AGNI VICTORIA
contra Gogum & Magogum. Lib. II.

Atq; huc diuerſis vbi conuenere gregatim cn. 25
E populis tandem, & cœtum coiere ſub vnum
Ingentem, collem conſcendens protenus altum
Eſauus, inter eos magno qui fulget honore,
Dextraq;, & ſimul ore potens, ac ſtrenuus heros, en. 27
Inſtructa lingua ſic mox affabitur illos:
O ſocij leuis haudquaq̃ eſt, mihi credite, cauſa,
Cur bellum extremis terræ de finibus acti
Concordi gerere affectu cum Principis Agni
Gente vaga monitis iuſſi nunc ſimus amicis
A celebri Gogo Duce, Magogoq; potente:
Sed res huc vrgens, & ſeria cauſa Monarchas
Impulit, vt ſtet honor nobis, & auita poteſtas
Incolumis: miſerè ne nunc, ac turpiter illis
Cogamur ſeruire, quibus mandata cruenta
Regnantes huc vſq; graui præſcripſimus ore.
Nos etenim primo patrum ſumus edita partu
Pignora, nos pia maiorum veſtigia certis
Greſſibus inſequimur: noſtris à partibus alti
Conſiſtunt, quotquot maiorum tempore laudem
Defenſæ fidei, ſeu relligionis habebant:
Martyres ex nobis, Confeſſoreſq; fuerunt:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Ex nobis etiam plures nituere prophetæ :
ſa. 52. *Nos totum ad fidei lucem conuertimus orbem :*
An non hæreticos nos confutauimus omnes ?
An non paganis quoq; nos occluſimus ora ?
Noſtrū opus eſt omnes Chriſti diſperſa per oras
Relligio, contraq; grauem ſuſtenta ruinam :
Non horum, qui nunc inſurrexere, parentes
Clàm veluti contra proprios, hei, corde rebelli
Degeneres nati : nullam queis tempore claram
poc. 21 *Aut fortis peperit manus, aut facundia famam :*
Sed pigri ſedere domi, taciturna tenentes
ſa. 61. *Ora, colum tanquàm, non arma virilia docti :*
Non apti ſatis ire foras, & figere damas :
Tantum aberat, per eos vt quicquā Eccleſia mutos,
Abiectoſq; homines factum benè poſſet habere.
Quapropter meritò noſtro ſubmiſimus illos
Imperio, ſemperq; iugum perferre coacti
Sub nobis huc vſq; graui gemuere labore :
Quandoquidem iuſtum eſt, vt ſeruiat ille, præeſſe
Subiectis alijs animo qui neſciat ægro,
poc. 21 *Pectoreq; imbelli nullis queat eſſe timori.*
ſa. 54. *Nonne rudes iubet ipſa palàm natura peritis,*
Atq; viris pueros animo parere ſequaci ?
Fortibus infirmi famulentur vt vſq;, neceſſe eſt,
Saniq; ægrotus Medici præſcripta ſequatur.

His

2157.

His moniti normis iuſtè nos preſſimus illos
Hactenus, & noſtram trepidare coëgimus iram,
Quandoquidem primo & geniti ſumus, & meliores Gen. 25
Conſilio ſimul atq; manu, linguaq; diſerta,
Nunc tamen, occultum nacti, quem neſcio, Regem,
Clanculùm adunatis contra nos viribus omnes
Inſurgunt illi, præfortiq; agmine nobis
Exitium intentant, eheu, magniq; Parentis
Præmia cum veræ ſolito pietatis honore Gen. 27
(Dicitur hic Moſi tectis Benedictio verbis)
Præripere incumbunt furtim: nigraſq; per artes,
Tantaſq; inſidias, vt ſint à nemine noſtrum
Præuiſæ, nos deludunt, maioreq; vincunt
Arte dolum, quo nos contra ipſos egimus antè.
Verùm, ne noſtrã quoq; dextrã, vimq; tremendã
Effugiant, nos id iam præcauiſſe paremus.
Nunc agite ô ſocij, fortes ſi quando fuiſtis,
Eſte viri: nunc hoſtem animis ingentibus iſtum
Aggreſſi, inuicta proſternere quærite dextra.
Quiſquis es, hæc minimè contemne pericula miles:
Nam ſi ſuppreſſi modò, dum iuga noſtra tulerunt,
Ore velut clauſo potuerunt creſcere tantum
In numerum, quid nunc fieri non poſſe tremamus,
Effuſi poſtquàm cæperunt condere celſo
Præclaram (vt fama eſt) in Monte ferociter vrbẽ,
Carminaq; emittunt, quibus alliciantur ad ipſos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Vndiq; mortales cunctis e cœtibus orbis,
Et latere à noſtro contra nos omnibus horis
Egreſsi miro plures armentur amore:
Ceu contra fortes igitur procedite cauti.
Vos etiam ô celebres Goge, & Magoge tyranni
Cum Satrapis alijs initam modò nectite pacem
Firmiùs, antiquam ne diſsoluatur ob iram
Rurſus, vbi fuerit committere prælia tempus.
Quin etiam, quos plæbs emiſit egena gregales,
Depoſitis inimicitijs nunc omnibus, vnum
Hoc agite, vt bellum nobis fœlicibus inſtans
Finiri queat auſpicijs: huc ocyus arma,
Si quibus in promptu nondum ſunt fortè, parate,
Ne cuiquam, quibus & ſeſe tueatur, & hoſtem
Lædat, in hoc deſint magni diſcrimine cœtus.
Armati contra armatas exite cohortes,
Et, quaſi de palma certi, lætoq; trophæo
(Nam numero ſimul atq; animis, virtuteq; fiſi
Maiori vincemus oues has, credo, furentes)
Hocce quibus dignas patiantur crimine pœnas
Denuo captiui, vobiſcum ferrea vincla,
Flammasq;, & gladios, multasq; aſsumite reſtes.
Talibus inſtabit monitis armare profanos
Eſauus aduerſus iuſti pia dogmata cœtus.
Ezr. 13. Inde ſtatim Gogus trux, & Magogus iniquus
Exurgent, dextramq; ibunt coniungere dextræ,

Sancitanq;

2157.

Sancitamq; nouo firmabunt fœdere pacem.
Mox alij quoq; idem facient, populiq;, Ducesq;
Certatim verbis vniti, & fronte ſerena:
Splendida tunc adſtructa ſibi conuiuia feſſi
Diſcedent, hilaremq; diem producere totum
Deſide gaudebunt à magnis pectore curis.
Poſtera cùm verò lux irradiauerit orbi,
Crapulaq; heſterni potus euicta ſopore
Ceſſerit à læſis regum, populiq; cerebris,
Gnauiter ad bellum ſe quiſq; parabit, & eius
Conſilij memores, Princeps quod ſuaſit Idumes,
Arma ſibi poſcent certatim cudier omnes.
Hic Galeam capiti prudenti mente requiret,
Loricamq; humeris: Thoracem prouidus ille
Pectoris eſſe ſui graue vult munimen ab ære,
Vel denſum focale parat, quo colla tegantur.
Hic gladium, ille ſibi teretem procerior haſtam
Comparat, aut ocreas pedibus velocior addit.
Nec rari ſatagunt crudeles ferrea cudi
Vincula, vel ſtringi reſtes, aut ligna ſecari
Multa, quibus capti mox hoſtes triſtè crementur,
Aut ſuſpendantur cruce ab alta, more latronum,
Ignari, Deus è ſummo quid cogitet axe.
Talibus en ſtudijs hîc impia turba vacabit.
At Rex intereà mitiſſimus Agnus in vrbe Apoc. 1.
Iuſtorum, ſanctoq; in monte Sione præaltum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Ad ſolium vultu cernetur ſtare benigno,
Sceptrigeraq́ ſuis promittere gaudia dextra.
Principis ad plantas numero ſine turba ſedebit,
Terq́ ſenum quadraginta, terq́ octo piorum
Millia fulgebunt iuxtà, quibus omnibus almi
Nomen erit Patris exardens in frontibus, hiq́
Tum ſua grandiſonis pulſabunt organa plectris,
Et noua regnanti depromẽt carmina Chriſto.
Præcipuo inter eos Dauid lucebit honore,
Triſtia doctrina ſana dum corda ſuorum
Excolet, vt fæcunda Deo iam reddita gratum
ſal. 101. Producant fructum: Domus illi ſtructa nitebit
mos. 9. Ante thronum, longo priùs, vt caſa diruta, viſa
Tempore,nunc autem, ætherei velut æmula templi,
ach. 12. Facta: prope hanc, ingens vbi porta recluſa,propin-
E domibus, varijsq́ effuſi cœtibus illuc, (quis
idem Innumeri arrecta conſiſtent aure fideles,
Veriloqui diuina queant vt carmina Vatis
Audire, & didiciſſe pio, gratoq́ labore.
ze. 34. Tum Dauid Princeps,ac Pſaltes doctus eorum
& 37. Inporta, cathedra poſtquàm conſederit alta,
Sam.23. Dulciſonam ad citharam diuinas accinet odas,
poc. 14. Quas poterunt ſoli verè didiciſſe fideles,
Atq́ ferè cupidis hæc inter cætera panget:
Principiò Omnipotens hominẽ cum luce creauit,
en. 2. Plena ſuæ ſemper bonitatis vt eſſet imago:

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Sed rapuit bona tanta reo mox inuidus Anguis
Et peccata, loco virtutum, fœda priorum,
Illius inſeuit cordi: quæ non tamen Author Gen. 3.
In facta ſibi ſede bonus requieſcere ſemper
Suſtinuit: ſed mox promiſit & ipſe viciſſim,
Promiſſumq; ſimul credenti adducere cœpit
Paulatim in ſancto Meſſiæ nomine Semen,
Per quod ad extremum ſibi lucida rurſus imago,
Deletis fieret vitijs, & amabilis vxor.
Inde fit, vt gemini nō tantùm intrinſecus hoſtes Gal. 5.
Inter ſe pugnent in cordibus vſq; piorum:
Sed foris in mundo quoq; nunc è ſemine nati
Diuerſo duo ſunt hominum, qui triſtia ſemper
Bella gerant, cœtus, inter ſe: nanq; vetuſtum
In quibus, abſq; noui, ſinitur ſuccreſcere, freno,
(Deforis haud miſſum citiùs dum pullulat illud,
Latiùs & proſerpit) eis, quicunq;, renati, Gal. 4.
Surrexere nouo dilecti è Semine Chriſti,
Triſte iugum imponunt, & prædominantur egenis,
Quæq; illi infligunt crudeli ſæpe lacerto,
Perferre hi miti coguntur vulnera corde.
Tale quid, en, magno quoq; nunc fit in agmine,
Saluifici ꝙ habet cognomē, vt ipſe fatetur, (Chriſti
Dum fore commemorat, cælos vbi ſcanderit altos, Mat. 24.
Chriſtiadum in cœtu diris horrenda periclis
Tempora. Nam quamuis doctrinam ſparſerat inſons

Ipſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Ipſe bonam, per quam credentibus exoreretur
Alma ſalus, tamen anguini vi ſeminis illa
Non fuit in multis carnem domitura ferocem.
Vnde tot ex Chriſti temerè, verbiuè Miniſtris
Pro Chriſto ſeſe, & rectoribus erexerunt
In populo, multos & ſeduxere, fideli.
Parte Magiſtratus alia fera bella ſuperbi
Quingentos & mille ferè manſere per annos,
Dum gens aduerſus gentem eſt armata propinquã,
Et regnum contra regnum: quapropter vbiq;
Dira fames etiam, & peſtes, terræq; tremores
Peccati populum toties vrſere tenacem.
Sed tantùm ingentis præludia parua doloris
Illa fuere reis: Mox auſi affligere Sanctos,
Hos occiderunt quoq; tandem, illiq; notantur
Inuiſi mundo cunctis in gentibus, eheu,
Iam facti, propter Chriſti tantummodò nomen,
Præ reprobis quia diuinæ ſunt lucis amantes.
Ibidem *Numine dehinc læſo, mala ſunt maiora ſecuta:*
Matth. 24. *Vulgus enim, aſperſum Doctorum labe ſuorum,*
Inteſtino odio collidi cæpit, & alter
Alterius prauas inquirere damna per artes.
Doctores quoq; ibi viſi pleriq; profani:
Quippe cucurrerunt haud miſſi cælitus, haudq;
Diuino tepidam perfuſi lumine mentem:
Sic dux in foueam pariter, ductiq; cadebant:

Quando-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Quandoquidem ſic impietas creſcebat vbiq;: Luc. 6.
Sed contrà in multis dilectio ſancta refrixit. Matth. 24.
Si tamen in tanto quiſq; diſcrimine firmus
Perſtitit, haud Chriſti de ſimplicitate recedens,
Per Chriſtum intereà potuit reperire ſalutem.
Eius in hoc etenim cunctis iam gentibus olim
Nuncius, ad Regnum ſeſe vt componere diſcant,
Mittitur: vt, ſi quis perit vſq;, neſcius almæ
Iuſticiæ, minimè nunc excuſandus aberret.
Atq; his impletis tandē omnibus, ecce, ſtupendū
Illuxit mundo tempus, quod pagina Finem Ibidem
Sacra vocat: Tunc ergo, Dei bonitate, recluſis Matth. 24.
Internis oculis, illum, qui tempore longo
Pridem occulta ſui ſtruxit myſteria regni, 2. Theſ. 2.
Paßim homines tetrum ſani videre tyrannum
Ceu vaſtatorem, in ſancta dominarier æde
Maxime Chriſte tua. Dehinc ſæua pericula Sanctis Matth. 24.
Frangere cæperunt animos. Quippe ocyus, illo
Contempto, ſunt iam Chriſti ſyncera coacti
Verba ſequi: quod non potuit non ferre moleſtè
Rex prior, atq; manu punire potente fugaces,
Quos aliò quouis à ſe deſcedere vidit.
Vos tamen inde pij diſcedite, quotquot ab atro
Quæritis exitio tuti reperire ſalutem
Perpetuam: ne vos iam veſtis, neuè ſupellex
Vlla domo in veteri deſerta, vel vllus ab iſta

Retraxiße

Retraxiſſe fuga poſsit color, ite ſub altos
Iuſticiæ montes diuinæ: mortua nec iam
Littera detineat fixos in carne caduca.
Ibidem *Purgato veteres animo deponite curas:*
Ne vos tempeſtas vitiorum, orate, retardet,
Cæcauè mundanæ profugos dilectio pacis:
Pacis enim non eſt, dum cognitus Antichriſtus
Regnat adhuc, tempus: verùm tribulatio Sanctis
Hic ſinglas ingens eſt expectanda per horas:
Qualis & à prima currentis origine mundi
Nulla fuit, neq; pòſt eſt omne futura per æuum.
Vnde, Deo miſerente, dies hæc ni citò prauis
Abbrenianda foret, ſancto haud contingeret vlli
Vera ſalus, ſed ob electos hæc abbreuianda eſt.
Hinc ſi quis vobis ex illis dixerit: ecce,
Ibidem *Chriſtus in hoc cætu nitet, hæc eſt illius aula,*
Mat. 24. *Ne credatis ei: Chriſti quia nomine multi*
Nunc ſine re quærunt populum ſeducere iuſtum,
Atq; docere ſtudent multi ſine luce ſuperna:
Miraq; dant hi ſigna, quibus fidē habere mouentur
Electi quoq; ſæpè, ſimulq; in tartara nigra
Cum ducibus ruerent, Chriſti niſi dextera fida
Suſtentaret eos: olim hæc prædicta videtis
Nunc fieri. Quare haud illum foris, haud & in vna
Quærite concluſum ſecta: quia fulguris inſtar
Eius in occaſum rutulans emittit ab ortu

Lucem

2157.

Lucem apparitio: Sic & victoria vbiuis Ibidem
Omnibus obtingit carni morientibus atræ.
Fert etenim arcanam pauidis anguſtia mortem
Illa bibenda pijs, & ſic augetur in horas,
Vt Sol iuſticiæ Chriſtus quoq; corpore paſſus
Exteriùs, nunc ceu caligine tectus opaca
Triſtè ſuum eripiat conſpectum, ſpemq; priori
Tempore conceſſam rudibus, dum littera ſtaret. Ibidem
Sic neq; luna dehinc, Eccleſia nempe vetuſta,
Splendorem ſolitum dat in hoc mœrore nouatis Ioel. 3.
Chriſtigenis, verùm ceu ſanguine, carneq; fœdum
Exhibet his vultum: ſtellarumq; inſtar, ab axe
Clara priùs membra eius eò cecidiſſe notantur,
Vt mera iam ſapiant animo terrena profano.
Quin & in arcano quotquot ſtant fortiter axe,
Turbat eos magno tamen hæc anguſtia motu. Mat. 24.
Sed citò tollendam nnnc eſſe fidelibus illam
Credimus, Emmanuel poſtq̃ eſt patefactus, et Agnus
Inclytus in ſancto nobiſcum hoc Monte videtur Apoc. 14
Stare minax reprobis, qui nos euertere quærunt.
Hunc illuſtratis iam cernite mentibus omnes Phil. 4.
Haud procul amotum, ſed fracto in corde nitentem
Cuiq; ſuo: Cor quiſq; ſuum gratiſſimam in ædem
Ocyùs huic reſerate, flagrantiq; eius amore
Ducimini, & ſanctam coram ipſo degite vitam,

Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Nec vos, bella licet moueat fera, territet hoſtis,
Siue caro internè, ſeu mundus deforis atrox:
At petite hunc humili modò corde ducē Emmanuelē,
Hunc orate malo in quouis, & ſtate fideles
Iugiter, hoc vno tuti Duce, clade minante
Qualibet: hic vnus veſter ſit currus, hic arma.
Certè quippe (nihil dubitate) per huius amicū
Subſidium, veterem nunc expugnabimus hoſtem,
Vtq; intus vitijs, ita mox & corporis iſtis
Hoſtibus erepti læto celebrabimus Agnum
Carmine victorem, famoſumq; illius vllo
Dicemus, grati meritò, ſine fine triumphum.
Mat. 24. Tantùm, age quiſq; ſuas intra ædeis lugubre carmen
Zach. 12. Concinat, & mæſto ploret ſua crimina corde,
Quò Domiuus iam iam pauidis illuſtrior adſit.
Eze. 34. Talia dulciloqui ſub finem ſacra legentur
Carmina Dauidis, per quæ renouabitur orbis,
Denuòq; amiſſum peccato ſumet honorem:
Ille pio myſtas vbi cælitus ore peritus
Inſtituiſſe ſuos, Agnoq; adiungere quæret,
Et Pſalmos canet, & citharam pulſabit acutam.

FINIS.

Libri II.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

DE AGNI VICTORIA contra Gogum & Magogum. Lib. III.

HInc & diſcipuli digreßi, mente refecta, Mat. 24.
Quiſq; ſuæ ſub tecta caſæ, lugubria pangunt Zach 12
Carmina, flentq; ſuam, recluſo pectore, noxam, Apoc. 1
Sæpius in placidum quòd acutæ ſpicula culpæ
Couijciant Dominum: fletum, en, fabricata ſeorſũ
Hunc reſonant amplam tentoria multa per vrbem,
Suauiter vnanimi dum quærunt voce medelam
Quotquot eò ciues pedibus venere beatis,
Quò ſanioſa ſui ſanentur vulnera cordis.
Fletibus immiſcent etenim flagrantia vota,
Flammanteſq; preces, vt ab omnibus expurgentur
Peccati maculis, iamq; exaturentur amatæ
Nectare iuſticiæ tandem, puroq; videre Matth.
Corde Deum poßint, regnantemq; illius Agnum.
Quin ſimul, vt Gogi quoq;, Magogiq; furentis
Inſidias triſtes, vimq; euitare minacem,
Ipſis diuina liceat bonitate, precantur:
Ne (labijs iterum clauſis, dominante dracone,
Ventoq; in quatuor detento finibus orbis, Apoc. 7
Ne ſpiret, gratoq; nouet rea pectora flatu)
Cogantur Chriſti myſteria magna tacere,
Iamq; Tyrannorum grauiorem, quàm priùs vnq̃,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Ferre manum victi: melius nam pectore miti
Seruitium vel triſte pati mortalibus ægris,
Pax vbi ſeruata eſt, quàm, rupta pace, rebelles
Haud tamen à ſæuis dimitti poſſe tyrannis.
Hæc pauido Sanctis fundentibus anxia corde
Vota Deo, ſcandit montem ſublimiùs Agnus,
Omnibus & præbet ſua clariùs ora videnda
Lucida: tunc læti ſpem confirmare labantem
Exurgunt, ſpernuntq; hoſtilia tela malorum,
Et certa guſtatur eis victoria mente.
Nunc, age, ſancte refer claro mihi Spiritus ore,
Pars quibus hîc inſignis vtrinq; futura ſit armis
Vtraq; ductorum, bellatorumq; potentum:
Et quemnam tandem pugna hæc habitura ſit anceps
Euentum: quàm læta piæ victoria turbæ
Cælitùs, oppreſſis mox, obuentura, profanis:
Omnia tu noſti, ſuggeſſiſtiq; Prophetis
Pluribus hæc olim: populum quoq; ſcire per illos
Nunc ea fas, vbi, qua fiant, illuxerit hora.
Quando ſtatuta dies erit, vt ſociata profani
Turma gregis, iuſtorum altam procedat ad vrbem
Aggere cingendam, diſrumpendamq; baliſtis,
Æquandamq; ſolo (nam ſpes ea ludet iniquos)
Educti longo conſiſtent ordine, & omnem
Corporibus campum implebunt, exercitus ingens,
Æreq; fulgebunt latè ſplendentibus armis.
Brachio

2157.

Brachio ibi forti ſurſum iactare Cainus
Aëra per vacuum ſpectabitur inclytus heros
Vexillum, quod habet primorum inſignia doctè
Picta ducum, vulpes, leopardos, atq; voraces
Nempe lupos, tribuloſq;, ac ſpinas, atq; halietos,
Omnia quæ rubro ſunt conſpicienda colore.
Quin & ibi gemina hæc ſententia ſcripta legetur:
Fundere iuſtorum ſocij properate cruorem, &: Prou. 1
Perdite, non ſeruate animas iuga noſtra peroſas.
Arma geret membris toti communia ſtirpi,
Criſtatam imprimis galeam, quæ dogmate ſurſum
Peſtifero fumet, veræq; ſalutis inani
Noticia. Craſſaq; omnis nutantia zona
Miles in hoc reprobo ſua muniet ilia cætu,
Quam graue condecoret mendacium, imago bonorū,
Sanctorumuè operum, fideiq; volatilis vmbra.
Iam clipeum læua geſtant incredulitatis
Ornatum titulo: Sed acutum viq;, doloq;,
Ceu geminā ad cotem, qui ſcindat vtrinq;, tenebunt
Mucronem dextra. pectus munire profanum
Fruſtrà iniuſticiæ nigro thorace parabunt.
Flexilibusq; ocreis, quibus & ſua tenuia cauti
Crura tegent, & iter melius feciſſe ſtudebunt,
Nomen erit ſæuum, fundendi ſanguinis ardor,
Et ſua cum damnis aliorum quærere lucra.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Sic ibi Gogus atrox, Magogusq; inclytus heros
Armatus procedet, eoſq; exercitus omnis
Ordine continuo per millia multa ſequetur
Sub ſimili vexillo, & iiſdem turgidus armis.
Natorum in medio pater Antichriſtus acerbis
Ibit vulneribus piger, atq; ætate ſenili,
Fronte tamen dura duo cornua, vimq;, dolumq;
Sæuus adhuc, plaga, geret, vt contuſa frequenti.
oc. 17. Ponè ſequetur eos etiam Babylonica Mater,
Impletumq; mero, citò dementante bibentes,
Ex auro cyathum impura feret ardua dextra,
Quò ſimul & natos fucata, ſenemq; maritum,
Atq; Duces alios quoſuis, omneſq; gregales
Potatos, coget ſtygio parere Draconi,
Veramq; horribili pietatem odiſſe furore.
Cum ſocijs quin ipſe nigris, Acheronte relicto,
Conſpicui humanis fallaciter artubus illic
Pocillatores aderunt, ſcortumq; iuuabunt,
Dum læuis animis proponent omnia læta,
Sed nigra triſtem inuoluent caligine finem,
Ne videatur ijs clades horrenda futura
Poſt vitã hanc reprobis, omne & manſura per æuũ.
c. 15. Quin etiam immundæ tres, ore ex triplice, ranæ
Prodibunt: quarum terreni erit vna Draconis,
(Nomine quem pia plebs alio vocat Antichriſtum)
Altera crudelis Gogi, ſed pſeudoprophetæ

2157.

Tertia Magogi: Ranis his mira poteſtas,
Læuasq́; aſſiduo mentes clamore valebunt
Ad fera, dum ſubiere, citò protrudere bella:
Hinc celeri curſu, pedibusq́; tumentibus ibunt
Ad proceres omnes, vt eos in prælia tactos
Horrida propellant, quatiantq́; tumultibus orbem.
Propterea impauido potati corde, venenum
Cæca nigri conceptum intra ſua viſcera Ditis,
Euomere in Sanctos properabunt ocyùs omnes.
Tum parte ex alia fido mittetur ab Agno
Suauiloquus Paulus, Ciues qui totius vrbis
Præmoneat, ne iam pigro indulgere ſopori
Conſtituant: verùm ſua quiuis arma capeſſant Eph. 6.
Ocyus, & celſum properent aſcendere montem,
Vicini vigiles ibi præſtolentur vt hoſtis Ioel. 3.
Aduentum, ſtantes coram alto lucidus Agno
Cætus, & auſpicijs eius pugnare paratus.
Imprimis ibi tum iuſtus prodibit Abelus,
Ante alios præmiſſus, vti vexillifer, Agni
Qui gereret Regis victrice inſignia dextra
Lucida, diuinisq́; illius fulgeret armis,
Qualia deberet ſibi mox exercitus omnis
Induere vnanimi, foret vt concordia, mente.
Porrò in vexillo, quod ibi dux fortis Abelus
Geſtabit victrice manu, hæc inſignia picta
Conſpicientur: ouis tot inermis præda ferarum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Poplite niſa crucem flexo quæ baiulet altam:
Candida iuxta illam ſtabit ſine felle columba,
Quæ nulli inſidias molitur & ipſa volucri,
Sed fert accipitris violentum ſæpiùs vnguem,
Hîc inter ſæuas etiam roſa candida ſpinas
Florebit pulchrè, & ſuauem ſpirabit odorem,
Quin poterit doctis clarè quoq; ab omnibus illic
Aurea multa legi Domini ſententia, quales
t. 5. Octo, nouemuè, ſuos affirmans eſſe beatos,
Enumerauit, vbi ſublimi in monte ſederet:
In ſumma ſcriptum Emmanuelis amabile nomen
Ingentes animos ibi parte videntibus addet.
Hoc ſub vexillo galea radiante nitebit
Æterni verace Dei, ſolidæq; ſalutis
1. 6. Noticia tam dux agilis, quàm quiſquis ab illo
Ducetur, tenuiq; ſuos ibi quilibet, ecce,
Præcinget zona lumbos, præcordiaq; ima,
Quam decorat veræ nomen pietatis, & omen,
Inſtructum vt pulchrè cernet Regemq;, ducemq;.
Thoracem verò diuinæ exemplar habebunt
Iuſticiæ, qua cor munitum rideat omnes
Hoſtiles ictus, inflictaq; vulnera carnis.
Hinc etiam clipeum docta diuinitùs horum
Quilibet inſignem læua prætendere quibit,
Nempe fidem veram, qua tela ignita Draconis,
Carniſq;, & mundi reprobi in ſe iacta repellat.

Aſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Aſt habili gladium dextra vibrabit vtrinq;
Scindentem, verbum nimirum ſpirituale,
Viuificumq; Dei, quod & acri pectora lege
Turbet ſecuris: & flentibus alta miniſtret
Gaudia, dum lætus de Chriſto nuncius aures
Triſtibus his, grato illius modulamine, tanget.
Inde ſuis ocreas pedibus quoq; nectere pulchras
A Tharſenſe ſciet monitus, doctusq; Magiſtro,
Toto vt Euangelium lugentibus offerat orbe,
Seruiat & multis agilis, veramq; ſalutem
Præpete commendet curſu, linguaq; perita.
Lancea flagrantum, vel in hoſtem ſpicula mitti
Nata precum deerunt quoq; nulli in gente fideli.
Sic iuſti armati coram alto Principe ſtabunt,
Sæuum expectantes animis ingentibus hoſtem: Apoc. 1
Intereà veteri prorſùs morientur Adamo,
Concipientq; nouas intra ſua pectora flammas,
Vt Chriſtum viuant ſolum, & cæleſtia curent:
Maximè, vbi cernent aggreſſos cominùs hoſtes,
Triſtiaq; horribili ſpecie ſibi fata minantes,
Nec ſe his aut numero eſſe pares, aut robore carnis
Aduertent, vt ſit miti ſpes omnis in Agno.
Quin ipſos etiam reprobos vbi longa viarum
Emenſi ſpacia ad montem venere Sionis,
Radicemq; eius pedibus tetigere profanis,
Vrbisq; ornatum procul, & lucentia gemmis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Ezr.13. *Mœnia viderunt, ſtupor, ac tremor arripit ingens,*
Non ſecus ac, ſubitis prægnans vbi fœmina partus
Torminibus quatitur, ſeq; euitare periclum
Vitæ haud poſſe videt, diſſolui frigore ſentit
Extemplò ſibi membra, grauemq; in corpore toto,
Pectoreq; afflicto perfert cruciata dolorem,
Tum tumidum Gogus Magogum affatur iniquus:
Magnanime heus frater diuinæ hæc mœnia cer-
Vrbis ab æthereis ita collucentia gemmis, (nis
Marmoreasq; ædes, & cuncta intrinſecus auro
Plena? vides alto ciues in monte locatos
Non homines, verùm dijs immortalibus omnes
Aſſimiles? quibus (vt fatear, quod ſentio) viſis
Horror me inuaſit grauis, & ſperata remiſſis
Excidit è manibus victoria. Paſſus hoc ipſum
Eſt noſter, quamuis ingens, exercitus iſte.
Nam pugnare Deo non eſt mortalibus æquum:
Poſt veteres, cœlo quis mouerit arma, gigantes?
Dic, age, quid ſuades, diſcedemus ne retrorſum,
Ferre iugum potiùs, quàm vulnera certa, parati?
Talia Gogus atrox turbato ibi pectore quæret.
Cui referet contrà Magogus corde feroci:
Quale tibi verbum frater prorupit ab ore?
Serion hæc rogitas? an concedemus inulti,
Permiſſa palma, noſtros excreſcere ſeruos?
Noſtra dehinc impunè premant vt colla ſuperbi,
Qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Quì ſemper nobis meritò ſeruire coacti
Sunt priùs à veteri labentis origine mundi?
Num velit hoc iuſtus Deus, atq; decentis amator
Ordinis? haud ſanè mihi quis perſuaſerit illud:
Quantumuis & me fulgor commouerat iſte
Nonnihil imprimis: verùm eſſe putemus inanem,
Quo rudibus Magi perſtringunt lumina, fucum:
Sæpiùs artifices vt captos vidimus illos,
Arte iacente, rogis immittier, atq; perire.
Certi igitur ſimus, noſtro hos quoq; marte domandos,
Maiorem quamuis oſtentent eminus artem,
Quàm noſter ſano capit intellectus in vſu.
Sic ait, & fratrem confirmat iure timentem
Iunior hic illum ſeniorem, vt ad horrida pergat
Prælia. verùm, inito prius Iſcariota iùbetur
Conſilio inter eos, trepidum ſermone potente
Militem ab inſano quoq; nunc reuocare timore.
Paret is, &, celſo conſcenſo colle, vocatos
Ad ſe mox omnes populosq; ducesq; profanos
Alloquitur, ſumantq; animos monet, atq; timorem
Conceptum ponant, quòd caſtra hoſtilia tantam
Exhibeant ſpeciem: rudibus quia faſcina læui
Prætendunt oculis plerunq; euanida Magi:
Contra legitimum nihil, vt viſa ardua, poſſunt
Illa Magiſtratum, noſtri quem longo, ait, alti
Diuinoq; gerunt, humanoq; ordine reges.

Vnde ſequatur eos, hoſtemq; inuadat eorum
Quilibet abſq; metu : lætum omnibus, hocce, futurū
Haud dubiè finem per iter tendentibus, etſi
Principiò fermè multa his aduerſa minentur.
Vnde & opes, lucere vident quas eminùs, aurum,
Argentumq; merum, & precioſos, arteq; ſculptos
Mirifica lapides, metuant nihil, at magis illa
Cuncta, ſibi, prædam velut, & ſpolia ampla, parata
Non ſine læticia videant ingente, petantq;
Magno cum deſiderio : quin primus in illis
Carpendis, montem conſcendens acriter altum,
Quilibet eſſe velit, proprias vt diues in ædeis,
Et ditare ſuos habilis, mox inde reuerti,
Viuereq; eximia poſſit cum laude beatus.
Talibus inſtructi monitis Ducis Iſcariotæ
Cum populo proceres bellandi rurſus amore
Flagrabunt, quærentq; Dei ſuperare timorem.
Claſſica tum latum poſtq̄ inſonuere per agrum,
Signaq; militibus data ſunt, accenſaq; fumos,
Atq; globos vano cœperunt mittere iactu
Tormenta, ex nigrido ceu miſſa tonitrua cœlo:
Plebsq; duceſq; ſimul, ſumptis immanibus armis,
Curriculo, en, ſacrum properabunt ſcandere montē.
Agnus ibi ſtabit corde imperterritus alto,
Apoc. 14. *Terq; Senum quadraginta, terq; octo nitebunt*
Millia claudentum latus illi vtrinq; beatum.

Qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157

Qui ſimul ac cernent conatumq; hoſtis inanem,
Sanctorumq; metum, non oppoſuiſſe parabunt 4. Ezr. 13
Arma quidem reprobis lædente rigentia ferro,
Perdere nec dextra frameam cupiente leuabunt:
Sed tantùm igniuomo ſpirabunt ore potentem
Halitum, & , vt flammas rutilas, è naribus amplis
Per vacuum latè volitantes aëra mittent
Scintillas ignis, tempeſtatemq; ciebunt
Hoſtibus horribilem, linguæq; ardentia motu
Tela ſuæ iacient in eos, labijsq; tonabunt.
Tum ſubitò, perculſo omnes diuinitus hoſtes
Corde trement, ſiſtentq; gradum, ſeraq; ſtudebunt
Conſuluiſſe fuga ſibi, conuertiq; retrorſum.
Diuina ſed eos tunc inſectante rigeſcent
Vindicta, neq; crura dehinc, neq; dura ſtupentes Zach. 14.
Brachia, ceu ſtatuæ luteæ, neq; cætera quibunt
Ritè mouere loco ſua membra: miſerrima Loti Gen. 19.
Ceu coniux olim, domini tranſgreſſa fidele
Mandatum, ad reprobam ne lumina flecteret vrbẽ,
Diriguit, ſtatuamq; ſalis mutata reliquit.
Sic Gogi tunc, Magogiq; exercitus ingens
Ocyùs in lapidum formam ſtupefactus abibit.
Nam, licet erecto conſiſtere corpore viſis,
Omnibus ipſa tamen ſenſim caro corporis icti Zach. 14
Contabeſcet eis: Oculusq;, foramine ſaluo,
Nil veri viſus plaga retinebit in illa

Prauorum:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Prauorum : nec ijs, licet integra perſtet in ore,
Lingua ſonos dignos ibi ſana mente loquetur.
Sic viuos etiam fiducia priſtina linquet,
Nec ſinet ira Dei ſecuro pſallere corde :
Quin, & ſi pergant ſolito de more docere,
Non tamen eius erit doctrinæ gratia, luxuè
Clarior vlla, fidem cordi vt perſuadeat æquo,
Verùm ea pro certis damnabitur vſq; tenebris.
Attamen inter eos prætendent ſupplice rari
Corde manus, poſcentq; ſibi delicta remitti :
Mitior ad ſeſe quos omnes colliget Agnus:
At reliquos duro corde, in mala quæq;, vel abſq;
Robore, præcipites ira conſumet edaci.
2. Theſs. 2. Primus ibi ſenior cadet Antichriſtus, vbi Agni
Sparſos à facie radios, flatumq; potentem
Senſerit, ob triſtem ſolio deiectus ab alto
Rumorem, vt lapſu ceruicem frangat acerbo:
1. Sam. 4. Sicut Heli quondam, cum captam audiuerat arcā.
Corruet & Magogus ibi, Gogusq; ſuperbus
Cum ſcelerum fœta pariter Babylonide matre :
Stirpeq; cum tota Meretricis, & Antichriſti
Sceptrigeri, proceresq; omnes, & pſeudoprophetæ
Apoc. 19. Sulphureum in ſtagnum viui mittentur, vt igni
& 20. Perpetuo crucientur ibi, plorentq; iacentes.
Aſt alios de plæbe malos, in veſtibus albis
Apoc. 19. Lucentes equites Agni, mucrone ſui oris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157

Ancipite occident, linquentq; volucribus eſcam.
Tum Draco tartareũ fugiet pudefactus in orcũ,
Atq; ibi perpetuis turgentia colla cathenis
A duce captiuus victore ligabitur Agno,
Cuius ad vnius trepidabunt omnia nutum,
Quæ cælum, quæ terra tenet, quæq; ater Auernus. Philip. 2.
Nec ſortem effugiet, frenatum illius, eandem
Triſte ſodalitium: cuncti ſua vincula flebunt
Æternùm, & Sanctis deſiſtent inde nocere
Poſſe, voluntatem quanq̃ haud mutare valebunt:
Quippe mali, per quos operari hoc tempore gaudent,
Illic, à dextra deiecti parte, ſiniſtram
Inuadent mœſti, ſanctisq; ſubeſſe ſtupenda Mat. 25.
Cogentur vice cum placido regnantibus Agno.
Quin iumenta cadent etiã tunc omnia, quotquot Zach. 14.
In caſtris illis fuerint, equus, atq; camelus,
Mulusq;, ac aſinus: nec deinceps vlla manebunt,
Quæ poſſint nocuiſſe pijs victoribus, arma: Mich. 5.
Quippe omnes currus, omnes frangentur & arcus,
In bello quorum fuit vſq; prioribus vſus
Temporibus: tunc in falces quoq; cudier haſtæ, Eſa. 2.
Mutariq; enſes tutò cum vomere quibunt, Mich. 4.
Vtiliore colant ſua dehinc vt corda labore.
Namq; hæc armigeri totam victoria tollet
Stirpem Antichriſti, moueat ne prælia Sanctis: Apoc. 20.
Paruulus extremi quanuis in finibus orbis

E ſcorto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

E ſcorto clàm natus ei manſiſſe feratur,
Cuius progenies poſt annos mille, priorum
Nomine dicta, pijs iterum fera mouerit arma.
Sed, fateor, mihi rumor adhuc obſcurior ille eſt:
Clarior at pacem fore iuſtis fama fatetur
Perpetuam, reprobis oppreſſis omnibus illic.

FINIS.

Libri III.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157

DE AGNI VICTORIA contra Gogum & Magogum. Lib. IIII.

TVnc igitur læta progreſsi ex Vrbe fideles
Corpora cæſorum quærent mandare ſepulchris,
Ac totam à fuſo terram purgare cruore:
Menſibus in ſeptem labor hic peragetur ab illis.
Intereà, ſi carnem hominis quis, & oſsa vetuſti
Viderit, erecto titulo mox illa notabit,
Vt ſepelire queat ſucceſsu temporis in ſe
Mortificata priùs, quò ſordem humus exuat omnẽ.
Septem his arcanis exactis menſibus, Agnus
Inclytus exurget, gratamq; ex ore ſereno
Vitam inſpirabit pauefactis antè miniſtris,
Dum facie nitida regnare videbitur alto
Conſiſtens in Monte, ſibiq; adiuncta fouebit
Agmina Sanctorum ſublimi vertice nubes
Tangentũ æthereas: quem ſumma potentia tunc &
Securis metuendum, & amicum lucida mœſtis
Gloria conſtituet, ſolum & regnare probabit.
Inde ſuos totum Legatos mittet in orbem
Denuò, grandiſonas hoc qui pro tempore docti
Sint inflare tubas, & magnas ædere voces,
Doctrinamq; bonam lingua vulgare potente.
Qua veterem in ſeſe, dociles quicunq; dabuntur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Mortificare queant hominē, & iam viuere Chriſtū,
Æthercam ad mentem, ſanctumq; illius amorem
Conuerſi penitus, merus ac ſi Spiritus eſſent.
Indutis ocreis igitur velociter illi
Mat. 24. Digreſſi, electos ventis ex quattuor omnes,
Vtpote & extremis lati de finibus orbis
Ioh. 20. Ad placidum adducent per dogmata lucida Chriſtū.
Intereà quotquot ſtructa ſibi nuper in vrbe
Manſerunt, gratis extollent mentibus Agnum
Victorem, & ſacro celebrabunt carmine Patrem
Æthereum: Tu magna facis, mirandaq; ſolus
Apoc. 15. O Domine, ô Deus omnipotens: tua iuſta probantur
Iudicia, & ſyncera, piorum ô maxime Princeps:
Quis non te timeat Domine, & non tollat honore
Nomen vbiq; tuū, quia ſanctus es vnus, & omnes
Nunc venient gentes, vel ſaltem ex omnibus illis
Haud pauci, ſua quò coram te pectora flectant:
Quandoquidē cupidis patefacta eſt maxima Sanctis
Nūc tua lux: Te ſumme Deus modulabimur hym-
Namq; iratus eras nobis ob crimina tetra (nis.
Esa. 12. Nuper: at hîc, poſito recreaſti trita furore
Corda tuis bonus, & nos conſolaris amanter.
Ecce Deus tu noſtra ſalus, te fidimus vno:
Pectora noſtra timor fugit anxius, alma poteſtas,
Lausq; es noſtra Deus, nobisq; operare ſalutem.

Vos

2157.

Vos etiam Electi, qui nunc in gente profana
Viuitis ignoti, cupidis properate vocati
Protenus huc animis, & aquas de fonte ſalutis, Zach. 13
Qui nobis patet hanc diuinam habitantibus vrbem,
Imprimisq; piæ domui Dauidis iuncti,
Cum deſiderio nobiſcum haurite flagranti.
Tunc & vos tandem dicetis: pangite Chriſtũ, Eſa. 12.
Latiſonoq; eius modulamine dicite nomen:
Cognoſcant populi, quæ, quantaq; fecerit orbi:
Scite, quòd ætherei doctrina ſit eius abundans
Luminis: hunc ſacras Dominum cantate per odas:
Digna etenim noſtro celebrari carmine geſſit:
Illa, agite, electus toto grex nouerit orbe.
Tu vocem exalta, tu concine fauſte Sionis
Incola: Sanctus enim veri Iſraelis amator
Lucidus hacce tua Chriſtus nunc regnat in vrbe.
Sic populus Dominũ Solimæ intra lucida ſanctæ Pſal. 97.
Mœnia, corde canet propter benefacta lubenti,
Concipietq; ſimul cæleſtia pectore celſo
Gaudia, nulla pijs quæ rurſum aboleuerit ætas.
Tũ vaga Luna dabit ſplendorẽ, ipſius ad inſtar, Eſa. 30.
Cornibus haud vnquam minuendis lucida, Solis.
Ipſeq; purgatam ſeptemplice lumine terram
Sol etiam aſpiciet, ſineq; vlla iugiter ibit
Nube videndus ibi, noctemq; haud fecerit atram Eſa. 60.
Flexus ad Antipodes, vt nunc fit: at inde manebit

 Perpetuò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Perpetuò ſupra Sanctorum lucidus vrbem,
Vt nullæ reditum poſsint ſperare tenebræ.
Quippe nouũ cœlo Dominus tum reddet honorẽ,
ſa. 65. *Atq; nouam terræ faciem: noua ſidera Sanctis,*
Et maiora dabunt ibi grato ex æthere lucem.
Ac velut ingenti victoribus omnia plaudent
Condita lęticia, quòd ſint nunc, euge, vetuſto
Facta à ſeruitio prauorum libera tandem,
Tàm quibus ante diu ſeruire coacta fuerunt
om. 8. *Cum gemitu triſti, lætum hunc ſperantia finem.*
Propterea multo ducentur alacriùs illic
Iniunctum facere officium, Dominoq; benigno
Parere, atq; hilari prodeſſe fidelibus ore.
Tunc igitur diri non ampliùs ægra cometæ
Pectora terrebunt hominum, nec frigida membris
Interitum creſcent nigrum latura venena.
Ver erit aſsiduum, placidiq; tepentibus auris
Mulcebunt zephyri natos ſine ſemine flores:
Mox etiam fruges tellus feret vltrò ſalubres,
Vltroq; fœtus ager grauidis canebit ariſtis,
mos. 9. *Atq; ſtatim falcem proſciſsus vomere poſcet,*
ſa. 65. *Calcatorq; vuæ terris noua ſemina mittet,*
Mortuus & carni vitam cum luce docebit.
Flumina tum lactis, tum flumina nectaris ibunt,
Et duræ quercus ſudabunt roſida mella,
m. 9. *Stillabunt montes muſtum, colleſq; liqueſcent,*
el. 3.

Et

Et vice duriciæ fluitabunt lacte prioris:
Omnibus in terræ riuis aqua viua meabit.
Fons etenim celſo, quem prædominantis ab Agni
Dimanare throno, modò diximus, atq; propinquam Zach. 13.
Omni à ſorde Domum clari expurgare Dauidis,
Plurima protendens, terras exibit in omnes,
Brachia, ſpinarum latos vt & alluat agros, Ioel. 3.
Omnibus & gratam ſitientibus offerat vndam.
Legati intereà, quos Rex emittet in omnem Mat. 24.
Grandiſona terram cum voce, tubaq; potente,
Dulcia Dauidis recitabunt carmina paſsim,
Permultiq; ab eis animo properante Sionem,
Pacificamq; vrbem perſuadebuntur in omni,
Sedibus auulſi patrijs, accedere gente.
Quanq̃ etiam ſegnes haud pauci viuida vatis,
Auribus occluſis, audebunt ſpernere verba: Zach. 14.
Qui dein, horribili mentem ceu fulmine tacti,
Protenus areſcent, atq; experientur acerbam
Offenſi tanto peccato Iudicis iram:
Contemptaq; ibi mox Agni bonitate, peribunt.
At, Legatorum quæ fauſta mouebitur ore
Turba pio, docta veræ allabentia vitæ
Flumina mente ſtatim bibet, vt floreſcere ſuauem
Propter aquam poſsit magis ac magis omne per æuũ:
Ocyus hanc ſecum quærent adducere Chriſto,
Fœlici fœlix apud illum vt viuat in vrbe.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Non autem poſtremus in hoc (ſi credere fas eſt)
Rom. 11. Sanctorum numero populus Iudaicus ibit
Antiquæ ex Oleæ rurſum radice vireſcens,
Iamq; hilari Dominum lingua canet antè negatum:
Illi præcipuè, quos Salmanaſſarus olim
Longinquam Aſſyrius captiuos duxit in oram,
4. Ezr. 13. Quiq; vltro ſiccis anguſta per oſtia plantis
Fluminis ignotas terras adiiſſe feruntur,
Hinc à Legatis nunc adducentur ouantes.
Principiò quanq̃ rurſus tranſire per arctam
Mat. 7. Flumen grande viam pedibus cogentur inunctis,
4. Ezr. 7. Vnius quæ tantùm hominis veſtigia recta
Suſtineat, quamquè hinc ignis vehementior, illinc
Perpetuis minitans affluxibus ambiat vnda,
Multiplice & cautè gradientes territet ictu.
Mat. 7. Quapropter multi conſpectam pectore læuo
4. Ezr. 7. Reffugient illam, greſſuq; lubente recurrent
Illinc ad veterem, pereant vt iugitur, vrbem.
Electi vero, quos Spiritus induet altus,
Confiſi Domini promiſſis omnipotentis,
Anguſtum forti audebunt accedere callem
Hunc animo: ſpes huc trahet indubitata ſequaces,
Vincet amor lucis cupidos, vitæq; beatæ,
Triſtibus vt ſtatuant ſe commiſiſſe periclis,
Inde viam ingreſſos, pallenteq; ſæpius ore
Iam latus in dextrum, quà flamma exæſtuat ingens,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Mox iterum in læuam pedibus nutantibus vndam
Corruere impulſos, nec ſe retinere valentes
Viribus humanis Deus alto ex æthere motus
Reſtituet, prendetq; manu, ducetq; fideli,
Cinget & Angelici tecto licet agmine cœtus.
Hanc autem emenſi plæbsq; Iſraelitica tandem,
Gentilesq; viam, pariter diuina refecti
Paupere concipient, æternaq; gaudia corde: Eſa. 55.
Sublimes etenim coram his iam carmina montes,
Elatiq; canent inflexo vertice colles:
Et cernentur ijs omnes applaudere ſyluæ.
Non ibi ſpina pedes gradientibus aſpera punget,
Sed virides miti ſternentur ab arbore frondes.
Tunc abies procera caput, rubus antè vbi creuit,
Eriget, verticæ ſuccedet & ardua myrtus,
Laudibus ac Domini ſuſtollet amabile nomen,
Et canet, æternùm domito quòd regnet in orbe.
Sic loca ridebunt grato priùs inuia vultu: Eſa. 35.
Candida deſertum producet lilia florens,
Carmeli decus atq; Saron, Libaniq; fragrantis
Ocyùs ad planctas adeuntum ſumet honorem.
Tunc oculis cæci recluſis æthera cernent,
Auribus & poterunt audire patentibus omnes,
Qui ſurdi nuper fuerant, leuiumq; citato
Ceruorum ſalient in morem poplite claudi, Ibidem
Linguaq; mutorum reſoluta decenter ouabit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Quando in deſerto riui ſcindentur aquarum,
Afflicti morbos quæ ſanent pectoris omnes.:
Ex quibus & modò vaſta cubilia dira dracouum
Iam calami accipiant gratum, iunciq; virorem.
Ibidem Semita tunc erit, & via, quæ via ſancta vocetur:
Nullus eam poterit culpa pollutus adire:
Nam per eam iunctus Deus ipſe fidelibus ibit:
Noxius hinc ibi non erit inſipientibus error.
Nec leo trux metuendus ibi, neq; ſcandet in illam
Beſtia ſæua viam, neq; comperietur in illa,
Sed per eam Sancti mundato pectore vaſa
Eſa. 52. Portantes Domini ſedatis greſſibus ibunt:
Ereptiq; malis, atroq; timore ſoluti
Lugubri ab exilio, Chriſto accerſente, redibunt.
Atq; hilari intrabunt ita cum clamore Sionem,
Eſa. 35. Lucida geſtantes in vertice gaudia puro:
Gaudia nam deinceps mera, læticiamq; perennem
Inuenient: verùm dolor, & ſuſpiria mœſta
Tunc procul illorum fugient à corde nouato,
Poſtquàm aduentantes exceperit inclytus Agnus,
Purpureisq; thronis in monte locauerit alto.
Marmorea accedent mox Templa, domumq; Daui-
Zach. 14. Vnanimi vt celebrent feſtum ſolenne labore, (dis,
Cui varijs extructa ſuum tentoria nomen
Impoſuere locis: nanq; id pius Agnus amore
Syncerę pietatis eam venerantibus vrbem

Omnibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Omnibus inſtituet ſub mundi denuò finem,
Sed nunc arcano celebrandum pectore tantùm:
Vt ſimul hîc totos coniuncta mente per annos
Magnum exercituum Dominum, Regemq; ſupremũ
Intimo adorantes animo, verèq; colentes
Conueniant, ſanctoq; ita conſocientur amore:
Nec minùs intereà diuerſa habitacula figant
Arbitrio ſibi quiſq; ſuo, varijsq; parentum
Ritibus exteriùs fungi, prohibente ſinantur
Nemine: quòd ſolum iam cor Deus arbiter altus
Inſpiciat, ſanctumq; ſui collaudet amorem.
Perpetuis hinc diſſidijs, odijsq; malignis
Ne, ſociata piè, diuelli tum quoq; rurſus Ibidem
Poſſit ob externè pugnantia dogmata, ſiue
Diſſimilem ob ritum victrix Eccleſia Chriſti,
Permittetur ei variæ tentoria formæ
Qualibet extruere, ac extructa habitare ſeorſum
In regione, ſacræ ſaltem prope mœnia plæbis.
Nec minùs idcircò Domini benedictio larga
Talibus obueniet, lucemq; ex arce beatam
Ætherea fundet: quia Ciuibus ipſe benignus
Hoc feſtum inſtituit, vultq; obſeruarier Agnus:
Propterea hæc æqua tentoria cuncta videbit
Semper mente, ſuoq; humectans rore fouebit.
Imperio ſed ſi contempto Principis alti, Ibidem
Non hoc ad feſtum ſolenne venire quotannis Zach.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

In ſanctam hanc vrbem gens perſuadebitur vlla,
Quò Regem hunc exercituum, Dominumq; potentē
Vnanimi placidæ conſenſu mentis adoret,
Siue Ægyptus erit, ſeu terram habitantibus vna
De reliquis, ea cœleſti deim imbre carebit,
Nec fæcundanda eſt placito amplius indiga rore,
Gratos victori fructus quo proferat Agno:
Sed ſubitò plaga veniente peribit & ipſa
Cœlitùs, iratus gentes qua puniet omnes
Conditor, ad celſam quæcunq; aſcendere lucem hanc
Mente recuſarint docili, diuerſaq; ritè
Cum reliquis habitare pijs tentoria poſthac
Gemmea noluerint Solymæ prope mœnia ſacræ.
Percutiet Deus has, perdantur vt ocyus, omnes,
Et quamuis ſanis viſi conſiſtere plantis,
Tabeſcant tamen, & ſtatuæ de more rigeſcant:
34. Moxq; picem in tetram fluuius vertetur eorum,
Et fiet diro omnis ijs humus omine ſulphur,
Diuinæq; incendet eam grauis vltio flammæ:
Ceu pice, nocte, dieq; ardere videbitur vſq;,
Nec poterit cuiusq̃ extinguier inde labore:
Fumus at aſcendet ſine fine, ac terra manebit
Perpetuò vaſta, vt nullus pertranſeat illam
Ampliùs, aut habitare velit pius, at fera tantùm
Beſtia, onocrotalus cum coruo, & erodius ingens:
Et creſcent ibi ſpinæ, vrticæq;, & paliuri:

2157

Sæuus ibi Draco, cum natis & ſtrutio paſcet
Horridus, ac onocentauri, ſatyriq; ſalaces,
Nocticoraxq;, & vultur atrox, veſpertilioq;
Lucifuga hîc latè ſua deinde cubilia ponent.
At cupido quicunq; nouam pede ſcanderit vſq;
Inde Ieruſalaim, tentoriaq; ardua figens Zach. 14
Principem adorarit ſublimi pectore Chriſtum,
Ille Deo fœcundus erit, diuinitùs imbre
Demiſſo, & poterit gratum producere fructum.
Indeq;, turmatim numero creſcente piorum,
Tanta citò opperiet cultam ſapientia terram, Eſa. 11.
Quanta tegit mare fluctiuagum remeabilis vnda.
Tum lupus haud laniabit ouē, tū pardus, et hædus
Gramina coniuncti carpent: Leo ſæuus, ouisq;,
Et vitulus pariter, pueris minantibus, ibunt:
Vacca vrſusq; ſimul paſcent, catuliq; beatam
Illorum inuenient animo ſapiente quietem:
Ipſe Leo paleis, vt bos, non carne deinceps Eſa. 11.
Dente fero, veſci quæret: puer aſpide ludet & 65.
Cum ſocia: quin & Baſiliſci doctior alter,
Hæreticiuè mali funeſta foramina tutus
Ingredietur ibi: Non illic lædere quiſquam,
Nec poterit damnare pios meliora ſcientes.
Tum pia turba virum ſeptemplex ambiet vnū, Eſa. 4.
Ac Germen Domini ſummo tolletur honore.
Nanq; expurgabit peccati à ſorde fideles

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Flatus ibi Domini reprimens, & Spiritus ardens.
ſa. 2. Inde Domus Chriſti varijs in montibus alta
Mich. 4. Stabit, eamq; auidis accedent vndiq; plantis,
Grata quibus motas fama hæc intrauerit aures,
Mutabuntq; ſacris ibi dura ligonibus arma,
Iamq; colent in pace Deo ſua terrea corda, &
Reg. 4. Quiſq; patrum arcana ſub ficu, & vite ſuorum,
Internæ ardentes pietatis amore, ſedebunt.
ach. 14. Viuere quotquot ibi ſancta credentur in vrbe,
Progenies Domini noua ſunt, & ſancta futuri:
ſa. 66. Quiq; ſacris poſthac, diuino balſamo inuncti
Corda, miniſterijs adhiberi rite valebunt.
ach. 14. Quicquid agent etiam, ſeu prælia dura mouebunt
Hoſtibus inuiſis, tollent ſeu laudibus Agnum,
Omne Deo acceptum, & ſanctum reputabitur illic.
oph. 3. Non cuiq; impietas ibi, non mendacia cordi,
Non tumor antiquus, non lingua doloſa manebit.
ach. 14. Nanq; iniuſtus ea nullus perſiſtet in vrbe,
Nullus ibi Cananæus erit, nullusq; profanus
Cor. 15. In grege iuſtorum tunc inuenietur ouante,
Cum Deus in Sanctis erit omnibus omnia ſolus.

FINIS.

Deo laus.

PSAL-

2157.

PSALMVS CII.: DOMINE exaudi orationem &c.

Quiſquis in arcano diuinæ lucis amore
Luget inops, tales fuderit ille preces:
Tempore præſertim tanti quo cauſa doloris
Incipiet grauiùs corda ferire pijs.
Inde per hæc ſancti poterit ſuſpiria vatis
Ante ſuum cura ſe releuare Deum.

Obſecrò vota Deus prona mea ſumpſeris aure, 1.
Nec meo ab ore leues abeat ſine clamor in au-
Quin magis, erecta tranſcendens æthera mente, (ras:
Lucem habeam de Luce tua, cantemq; refectus.
Ne procul hinc à me te durior abdere pergas, 2
Tanta reo dum cor anguſtia turbat egenum:
Ah, potiùs mœſto, clæmens qui crederis, aurem
Inclina facilem, citòq; accipe vota precantis.
Æuum quippe meum fumi de more fugacis 3
Abſumptum eſt, exuſta mihi, ceu torris, & oſſa
Præ luctu, in tenebris his dum deſidero lucem.
Cor mihi percuſſum, velut à meſſoribus hærba, 4
Non retinet viua conſuetum in carne virorem,
Eius at euulſis radicibus, arefactum
Tabeſcit: neq; iam ſolita oblectatio panis
Me capit: arcani quoq; nunc me Littera verbi
Præterit, externis oblitum fidere cunctis.
Hinc gemo continuò, meaq; imperfectio ſenſim,
Quicquid erat prompto ſub pectore roboris, aufert.

Nanq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

5. Nanq; etiam, nullos iuxta me vera ſecutos
Gaudia conſpiciens, videor mihi ſolus in orbe:
Sicut in immenſa Pelicanus mœret Eremo,
Sicut & in vaſtis nocturno tempore plorat
7. Bubo locis: ita præ curis, en, tranſigo noctes
Ipſe quoq; inſomnes: vt, cum paſſerculus alto
Deſidet in tecto ſocijs, & compare caſſus.
. Haud paucos (fateor) iunctos mihi cerno profa-
At mihi ſemper ij pugnant hoſtiliter omnes, (nos,
Meq; die tota ſannis, probriſq; fatigant:
Quos ego mirabar ficta pietate feroces,
Illi in damna ſimul iurant mea, clàmq; maligno
Feruentes odio gratis me perdere quærunt.
. Dum, vice panis, edo cineres, & gaudia ſumma
Duco, mori mihimet, quo te recreatus adorem:
Vnde meum lachrymis & potum temporo largis,
Nec niſi cum triſti video ſolamina fletu.
2. Sic tua graſſatur contra me iugiter ira,
Nudatoq; tuis animo perferre ſagittas
Aſſiduò iubeor: quia me in ſublime leuaſti,
Deq; tuo oſtenſo ſuſpenſum lumine tentas:
Cum neq; me plenè conſortem perficis huius,
Nec ſinis, Electis in toto vt luceat orbe,
Meq; adeò vana quaſi ſpe lactare videris,
In grauiore velut linquens mœrore iacentem:
Dum ſinis, in tenebris volucre hoc mihi labier æuū.

Quippe

2157.

Quippe mei,velut vmbra,dies,nũc morte propin- 11.
Deficiunt,egoq;, vt ſucciſũ, exareo,gramen : (qua,
Inq; mea vitam præſentem exegero carne,
Si tuus Aduentus noſtro haud illuxerit æuo.
Non tamen idcirco nunq̃ aduentabis in alma 12.
Luce tua, neq; nos promiſsis ludere vanis
In finem vſq; v[illegible]les, licet, in ſpe mortuus antè,
Non ego ſim viſurus eam, hæc dum ſæcula current.
Tu ſiquidem ſine fine Deus regnabis, & omnis
Te noua, quæ ſurget, mundi generatio quæret.
Vnde tuam nobis ſi non attingere nunc fas
Ætatem, inuenies, quibus id concedere doni
Mox poſsis,alios, nosq; ædificabis in illis.
Quin tamẽ,oro,pater,tuq; ô Rex maxime Chriſte 13.
Surgere nunc tandem ſtatue, & nos altiùs in te,
Vtpote maiori perfuſos, euehe, luce:
Gratia nunc pauidis liqueat tua maxima Sanctis:
Nunc etenim venit miſerendi nobile tempus,
Nunc, en, vnanimi quam prædixere Prophetæ
Conſenſu,miſsi quicunq; ab origine mundi,
Nunc,en, illa dies, qua conſummatio Lucis
Æthereæ Sanctis eſt obuentura ſupernè:
Spirituale tuum tandem nunc extrue Templum.
Nanq; tui ſerui lapides, quibus ædificetur, 14.
Scilicet Electos duro tibi pectore forſan
Obſtantes quidem adhuc,ſed qui molleſcere poſsint
Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Hinc citò voce tua, miro amplexantur amore:
Menteq; prædocta miſerentur pulueris eius,
Vtpote quòd curis merſi terreſtribus illi
Tempore tam longo iaceant, qui, ſi tuus orbem
Spiritus arguerit veniens, ſua pectora gratam
5. Præbuerint aulam tibi. Nunc vellemus id omnes
Effectum: gentes etenim, mundiq; Monarchæ
Te metuent, Nomenq; tuum, lucemq; ſtupebunt:
6. Cum Deus arcanam volet ædificare Zionem,
Adductaq; ſuam complere coronide Turbam:
Nempe ſuo in ſummo tum conſpicietur honore,
Luceq; perfecta veſtitus, ab Agmine ſancto.
7. Fiet id, hæcq; in eo veniet mox gloria nobis,
Feruida reſpiciet deſerti vota Miniſtri,
Cui ſocij primùm nulli, nulliq; fuere
Symmyſtæ: plures mox hinc doctrina fideles
Attrahet eius: & hos quoq; nō tu Chriſte precantes
Deſpicies, at ſanctum & ijs implebis amorem.
8. Scribite, queis calamo placet vti, ſcribite vates
Hæc promiſſa Dei ſera pro ſtirpe nepotum:
Vt, quæ ſub mundi generatio poſtera finem
E Sermone Dei vitales hauriet auras,
His lectis, pleno collaudet gutture Chriſtum.
9. Tum ſiqidē ex alto Dominus miſeratus olympo,
Sede ſua ſancta, terram aſpectabit egenam,
10. Vt placida gemitus vinctorum colligat aure,

Mortiq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Mortiq; aſcriptis atræ ſua vincula ſoluat.
Quò nomen Domini celebrent in plæbe piorum, 21.
Illius & laudem cum Sanctorum agmine cantent:
Quando vno populiq; animo, Regesq; potentes 22.
Conuenient, Domino ſimul inſeruire parati.
Tempus hoc optandū eſt, venietq; optantibus: etſi 23.
Tam citò, quàm cupio, mihi non contingit, at eius
Per deſiderium, naturæ ego luce vetuſtæ
Deſtitui cogor priùs, & langueſcere carne:
Forſan & abrupto priùs hoc me colliget æuo,
Quàm facere hæc, plenoq; abſoluere ſurgat amore:
Sed mihi grata minùs foret hæc dilatio Sponſi.
Propterea ſupplex tot eum ſingultibus oro: 24.
Mi Deus in medio ne me ſucciderìs æuo,
Dum ſua canicies animo non creuit adulto
Per verbum, lucemq; tuam, ſenſumq; virilem:
Mens tua plena mihi da luceat ante ſepulchrum,
Si tibi ſic viſum eſt: alioquin hoc ſcio ſaltem,
Omnia quòd Rex tu maneas in ſæcula, pridem
Qui cœlum, terramq; tua virtute creaſti, 25.
Non tamen hæc æquè vt ſtarent æterna creanti: 26.
Quin viſum tibi, cuncta ſuis includere metis,
Ac finire ſemel: ceu veſtes inueteraſcunt,
Sæpeq; detritus renouari debet amictus:
Sic facis humano generi Deus optime: ſic vis
Hîc ſtirpi ſtirpem, & patribus ſuccedere natos,

Perpetuóq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Perpetuóq; nouum terras aſſumere vultum.
27. Verùm nil æterne Deus tibi tale minatur,
Qui ſolus verè es nullo mutabilis æuo:
Non anni tibi deficient, non ſceptra labaſcent,
Sed tu perpetuo cœli Rex tempore viues,
Cui Regnum in terris etiam ſine fine manebit.
28. Vnde fugax patrum ſi non permanſerit ætas
Ad feſtum hoc inſigne tuum, generatio ſaltem
Huc tum poſterior de ſtirpe aſcendet eorum:
Dum miſsis abs te volet auſcultare Miniſtris,
Maiorumq; fidem, ſanctumq; ſequetur amorem:
Hæc pia poſtremi tandem Generatio Mundi
Firma tua coram facie perſiſtere quibit.

AMEN.

FINIS.

Deo laus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

vultum.
ale minatur,
æuo:
tra labaſcent,
e viues,
fixe manebit.
rmanſerit ætas
eneratio ſaltem
endet eorum:
ltare Miniſtris,
quetur amorem;
eratio Mundi
re quibit.
V.

S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)

2157.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2157 8° (LN 1439 8° copy 2)